



lex  
Sammelband 28







3. AM 21  
SUMMA CAPITUM RELIGIONIS  
CHRISTIANÆ  
E  
CORPORE DO-  
CTRINÆ JULIO  
EXCERPTA

*Q V A M*

ante complures annos in Academiâ Juliâ  
Disputandam proposuit

GEORGIUS CALIXTUS

S. TH. D. ET IN ACAD. JULIA  
PROF. PRIMAR. ABBAS REGIO-  
LOTHARIENSIS,

iisdem verò usibus destinatam,

Anno MDCC LXI è MSS. collegit & excudi

fecit

FRID. ULRICUS G. F. CALIXTUS

S. TH. D. EJUSDEMQUE PUBL. ET ORD.  
PROF.

Typis CALIXTINIS, operâ  
HENNINGI MULLERI.

SUMMA CAPITUM RELIGIONIS  
CHRISTIANAE

CORPORE DO-  
CTRINAE IULIO  
EXCERPTA

Q V A M

Disputationes in Academiâ Julis  
anno 1703

GEORGIUS CALIXTUS

S. THEO. ET IN ACAD. IULIA

PROF. PRIMAR. ABBAS REGIO  
LOTHARIENSIS

in hunc modum verò libris de

hunc librum est in MS. collegio et ubi

1703

FRID. ULRICUS G. F. CALIXTUS

S. THEO. ET IN ACAD. IULIA

PROF.

Typis C. A. L. I. N. I. S. O. P. E. R. I.

HENNINGI MALLERI





SS. THEOLOGIÆ IN ACADEMIA  
JULIA STUDIOSIS  
AUDITORIBUS SUIIS

S. D.

FRIDERICUS ULRICUS CALIXTUS D.

**P***ures sunt quam quadraginta an-  
ni quod Beatus Parens meus, hanc  
CAPITUM RELIGIONIS CHRI-  
STIANÆ SUMMAM, è Corpore  
Doctrinæ Julio excerptam, & Au-  
ditorum, quantum equidem ex di-  
ctione colligo, studio in latinum translata, in  
illustri Juliâ disputandam proposuit. Ubi verò  
collectionem hanc luce non indignam, & argumen-  
tum Lectionibus publicis nec ineptum, nec à mihi  
demandatâ Professione alienum, suppeditare ani-  
madverti, in eosdem, ad quos desideratissimus Pa-  
rens meus, non sine insigni studiosæ juventutis fru-  
ctu & emolumento, olim adhibuit usus, ego quo-*

(?) 2

que

que convertere non dubitavi. In Vestri igitur, Auditores optimi, gratiam, Vestro commodo, publico dono, Deo benignè adspirante, quæ strictim proposita sunt, plenius expositurus, & aliquanto uberius & fusius è propriis principiis & fundamentis deducturus, suppletis subinde, quæ brevitatis studium non attingere permisit, sed præterire jussit. Largior præterea omnibus & singulis scrupulos nondum fortè exemptos, & mota natave dubia publicè proponendi potestatem: quâ agendi ratione Vobis exercendis ego vacabo, Vos verò obscuriora ulterius illustrandi mihi suppeditabitis occasionem. Ceterùm ne quisquam Vestrum, qui in hac optimarum artium officina operamini, publicæ harum Provincia-rum & Academiæ Confessionis, cui juramentum diximus, summam ignoret, illam ipsam, piâ Parentis mei manu quondam consignatam sic habete.

AntiCry-  
pto-Papis:  
parte 1.  
S. 87.

Es begreiffet aber Corpus doctrinæ Iulium (daß auch hievon der günstige Leser / dem es sonst unwissend sein mag / bericht haben möge) erstlich die drey alte haupt-Symbole, das Apostolische / Nicænische vnd S. Athana-sii: hernach die Cathechismos Herrn Lutheri: die Aug-sburgische Confession vñ deren Apologiam: die Schmal-kaldische Articule von Herrn Luthero gestellet / neben ange-



angeheffreten Articulen von der Gewalt vnd Obrigkeit  
des Pabsts: vnd endlich das Büchlein D. Urbani Regii  
de formulis cautè loquendi, wie man fürsichtiglich  
vnd ohne ärgernis reden sol von den fürnehmsten Arti-  
culen Christlicher Lehre. Solch Büchlein hat D. Vr-  
banus für die junge einfältige Prediger meistens  
Lateinisch geschrieben: welcher nunmehr fast für hun-  
dert Jahren / nemlich im Monat Majo, Anno 1541 zu  
Zell in Gott entschlaffen. Über diß befind sich annoch  
im gemeldten Corpore doctrinae Iulio zweyfältiger  
Bericht / einer ist fornen angesezet / der ander zu lezt.  
Der fornen an stehet ist auch der Kirchen Ordnung ein-  
verleibet / sub titulo, was das Corpus doctrinae, das  
ist / die Form vnd Fürbilde der reinen Lehre in den Kir-  
chen dieses Fürstenthumbs hinfuro seyn sol: folget ein  
proemium, vnd darauff dieser titul, kurzer einfälti-  
ger vnd nothwendiger Bericht / von etlichen fürneh-  
men Articulen der Lehr / wie dieselbigen mit gebürli-  
cher bescheidenheit zur Erbauung fürgetragen / vnd wi-  
der alle Verfälschung verwaret mögen werden. Diß  
ist der erste vnd strack zu anfang gesetzter tractat. Der  
ander / der zu lezt stehet / vnd das Corpus doctrinae be-  
schleuffet / wird tituliret, Wolgegründeter Bericht von  
den fürnehmsten Articulen Christlicher Lehre / so zu  
vnsern Zeiten streitig worden seyn / was eines jeden  
Articuls rechter Verstand sey / vnd wie man in Got-

tesfurcht / ohne abbruch der Wahrheit / von einem jeden  
Articul / aus der rechten Grundfäst des Göttlichen  
Worts mit bescheidenheit reden möge oder solle. Disß  
ist also das Corpus doctrinæ Iulium, darauff die Pro-  
fessores der Iulius Vniversitet bey antrittung ihrer  
Profession Verwaltung End und Pflicht abstaten mit  
folgenden Worten : Corpus doctrinæ Christianæ, in  
ipsa introductione ab Illustrissimo Fundatore Acade-  
miæ commendatum, tamquam præclarum deposi-  
tum & magni pretii thesaurum ex animo venerabor,  
& ut nihil in eo immutetur vel innovetur, summis  
viribus operam dabo. Welches dem günstigen Leser  
zur Nachricht man allhie zu berichten/nicht undien-  
lich erachtet.

*Orthodoxum hoc Apostolicæ & catholicæ Do-  
ctrinæ Corpus, Serenissimus & Celsissimus glorio-  
sæ memoria Princeps JULIUS, Academia nostra  
conditor nunquam satis laudandus, sapiente utique  
consilio colligi, & in suarum Provinciarum Eccle-  
sias introduci fecit. Principis enim Christiani hæc  
potissima cura esse debet, ut populorum, subdito-  
rumq; suorum non tam corpora quàm mentes quo-  
que pascat, nec ad temporalem tantum & peritu-  
ram, sed æternam etiam & perennantem post hanc  
vitam felicitatem, quantum in ipso est, dirigat.*  
Ubi

Ubi satiùs simul suoque fastigio dignius duxit Prin-  
ceps optimus, quum nec Sibi prudentia, nec Viri re-  
rum Theologicarum peritiâ instructissimi deessent,  
atque ipse adeò magnus ille Chemnitius (quem in  
adornando Doctrina Corpore stylum & compositio-  
nem attulisse Ægidius Hunnius alicubi memorat)  
in ipsâ Celsitudinis Ejus Provinciarum metropoli vi-  
veret, Suo Ipsius, & eorum qui Suæ Celsitudini ob-  
stricti erant, remigio rem gerere, quàm aliorum præ-  
scripta expectare & suspicere. Nostrum est piissimi  
Principis paternam curam gratâ memoriâ prosequi,  
& rogare DEVM opt. max. ut hunc magni precij  
doctrinæ purioris thesaurum, & præclarum de-  
positum, ad seram si qua futura est posteritatem  
ab omnibus corruptelis immunem asserere velit.  
Vos verò, Auditores, argumenti dignitas invitabit  
& alliciet, ne explicationi audiendæ tempus & o-  
peram impendere nolitis: faxo ovi fœa, ut neminem  
pœniteat, neque meam fidem & sedulitatem quis-  
quam desideret. Valete. P. P. in Acad. Juliâ  
CIS IO C LXI, Mense Majo.

CAPUT

## INDEX CAPITUM.

Cap. I. De Norma Religionis & Regulâ fidei, paginâ	I.
II. De Fine hominis absolute summo & ul- timo.	2
III. De Deo.	3
IV. De Peccato.	4
V. De Viribus humanis.	8
VI. De Christo.	11
VII. De Lege & Evangelio	13
IIIX. De Sacramentis in genere	16
IX. De Baptismo	18
X. De S. Eucharistiâ	19
XI. De Mifsâ	21
XII De Confessione & Absolutione	23
XIII. De Justificatione	25
XIV. De Pænitentiâ	27
XV. De Bonis operibus	28
XVI. De Jejniis & Precibus	30
XVII. De Ecclesiâ.	33

DE



CAPUT I.

DE NORMA RELIGIONIS  
ET PRINCIPIO THEO-  
LOGICO.

**D**ura & salutifera doctrina ea sola est, quam Deus ipse revelavit in suo verbo, uti id scriptis Prophetis & Apostolicis Veteris Novi que Testamenti à Mose Prophetis, Evangelistis & Apostolis comprehensum est. Nam vera religio veræ ecclesiæ Dei non nititur opinionibus humanæ rationis aut sapientiæ, neque excellentium hominum traditionibus, quæ diu forte obtinuerint, sed fundatur in eo solo, quod locutum fuerit os Domini. Ejusmodi verò doctrinam per quam Deus essentiam & voluntatem suam ecclesiæ suæ à conditu mundi revelavit; ipse postea, quanta quidem nobis ad salutem nostram necessaria esset, scriptis comprehendi fecit, posteritatis ergo; ut haberet ecclesia omni tempore firmum fundamentum & certam regulam per quam sincera religio probaretur & cognosceretur, & ab incertis, falsis & erroneis opinionibus discerneretur; qua de re agit Irenæus lib. 3. cap. 1. *Non, inquit, per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Deus itaque

*E prologo  
Corporis  
doctrina  
Iulii.*

A

scri-

2 DE FINE HOMIN. ULTIMO

scripturis complexus est, quæcunque necessaria sunt ad nostram doctrinam, consolationem, commonefactionem, redargutionem, correctionem & disciplinam, ut perfectus sit homo Dei, & ad omne bonum opus instructus. Proinde, ut rectè docet Augustinus lib. III. contra literas Petiliani cap. VI. *sive de Christo sive de ejus ecclesia, sive de quacunque alia re quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei, qui dixit, LICET SI NOS, sed omnino quod sequutus adjecit, si angelus de cælo vobis annuunciaverit, præterquam quod in scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.* Scriptura verò torqueri, perverti, aut præconceptis opinionibus ad commodari non debet, sed accipi in simplici sensu, quem clara & perspicua litera suppeditat, & quemadmodum aliud dictum alio secundum analogiam fidei explicatur. Recipimus etiam animo prompto & lubente catholicum genuinæ antiquitatis de vero scripturæ sensu consensum, declaratum in antiquissimis Ecclesiæ symbolis, ut Apostolico, Nicæno, Athanasiano.

CAPUT II.

DE FINE HOMINIS ABSOLUTE SUMMO ET ULTIMO.

*Symb.  
Athanas.*

**C**Hristus Servator noster, qui conscensus cœlis fedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus est ut judicet vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgent cum corporibus suis & reddent de factis suis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum.

CAPUT

CAPUT III.  
DE DEO.

NON sufficit ad salutem de Deo scire, credere & dicere, æ-  
ternum, unum, omnipotentem, beneficum esse, condito-  
rem omnium &c. tantumdem enim pagani scire & dicere  
possunt. Corpus  
Doct.

Christiani autem, cum interrogantur, quem Deum suum  
agnoscant, aut quis verus Deus & Dominus sit, simpliciter  
credere debent, Esse Patrem, Filium & Spiritum S. Nam in  
hanc fidem baptizati sumus in nomen Patris, Filii & Sp. S.

Et studiose retineri debent usitati loquutionum modi,  
qui scripturæ conformes ipsam doctrinam distincte expli-  
cant, scilicet: Esse unam indivisam divinam essentiam, & in  
illa una essentia tres distinctas personas, Deum Patrem, Fili-  
um & Spiritum S. ejusdem essentiæ, potentiæ & gloriæ; nihilo  
tamen minus, Patrem non esse Filium, item Filium esse distin-  
ctam personam à Spiritu sancto.

Quia sicut singulatim unamquamque personam Deum  
aut Dominum confiteri, christiana veritate compellimur;  
Ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohi-  
bemur. Pater à nullo est factus nec creatus nec genitus. Fi-  
lius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spi-  
ritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec ge-  
nitus, sed procedens.

Damnantur itaque omnes sive veteres sive recentiores  
hæretici, qui divinitati Filii aut Spiritus sancti contradicunt.

Ab idololatria Pontificii excusari non possunt, qui san-  
ctos invocant, tanquam Mediatores & Propitiatores: ab iis-  
que illa petunt & expectant, quæ dare solius Dei est.

Item cum in Iuramentis non tantum per Deum sed per  
san-

sanctos etiam jurant, pars est idololatriæ antichristianæ. Sibi enim soli hunc honorem vindicat Deus, ut suo nomine invocato juramentum, cum opus fuerit, fiat. Exod. xxii, 13. Deut. vi, 13. 10. Jer. v, 7.

Quodcumque ab homine magis timetur aut amatur, quam Deus, idolum est; eoque modo contra i. præceptum enormiter peccatur.

## CAPUT IV.

## DE PECCATO.

*August.  
Confessio.  
Artic. 2.*

Post lapsum Adami omnes homines secundum naturam propagati nascuntur cum peccato, hoc est sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, estque hic morbus, seu vitium originis verè peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem, his qui non renascuntur per baptismum & Spiritum sanctum.

*Apologia.  
ad Artic. 2*

Non solum autem effectus, sed potentiam seu dona efficiendi timorem & fiduciam erga Deum adimimus propagatis secundum carnalem naturam. Dicimus enim ita natos habere concupiscentiam, nec posse efficere verum timorem & fiduciam erga Deum. Potentiam naturæ detrahimus, hoc est dona & vim efficiendi timorem erga Deum detrahimus & in adultis actus. Ut cum nominamus concupiscentiam, non tantum actus seu fructus intelligimus, sed perpetuam naturæ inclinationem.

Neque novi quidquam dicimus. Vetus definitio rectè intellecta, prorsus idem dicit, cum ait, peccatum originis carentiam esse justitiæ originalis. Justitia in scripturis continet non tantum secundam tabulam Decalogi, sed primam quoque, quæ præcipit de timore Dei, de fide, de amore Dei. Itaque justitia originalis habitura erat notitiam Dei certiorum, timorem Dei, fiduciam Dei, aut certè rectitudinem &



DE PECCATO

& vim ista efficiendi. Idque testatur scriptura cum inquit, hominem ad imaginem & similitudinem Dei conditum esse. Quod quid est aliud, nisi in homine hanc sapientiam & justitiam effigiatam esse, quæ Deum apprehenderet & in qua reluceret Deus, hoc est, homini dona esse data, notitiam Dei, timorem Dei, fiduciam erga Deum & similia. Sic enim interpretantur similitudinem Dei Irenæus & Ambrosius, qui cum alia multa in hanc sententiam dicit, tum ita inquit: *Non est ergo anima ad imaginem Dei, in qua Deus non semper est.* Et Paulus ad Ephesios & Colossenses ostendit imaginem Dei, notitiam Dei esse, justitiam & veritatem. Nec Longobardus veretur dicere, quod justitia originis sit ipsa similitudo Dei, quæ homini indita est à Deo.

4 Itaque vetus definitio, cum inquit, peccatum esse carentiam justitiæ, detrahit non solum obedientiam inferiorum virium hominis, sed etiam detrahit notitiam Dei, fiduciam erga Deum, timorem & amorem Dei, aut certè vim ista efficiendi detrahit. Ex his apparet veterem definitionem prorsus idem dicere quod nos dicimus, detrahentes metum Dei & fiduciam, videlicet non actus tantum, sed dona & vim ad hæc efficienda.

5 Est autem necessaria cognitio peccati originis. Neque enim potest intelligi magnitudo gratiæ Christi, nisi morbis nostris cognitis.

6 Peccatum est ἀνομία 1 Ioh. III, 4, sive quicquid in homine contra legem Dei est. *Corp. doct.*

7 Peccatum itaque originale, ejusque in renatis reliquiæ, nempe inordinati motus & adfectus carnis vera sunt peccata Rom. VII.

8 Neutiquam docendum est, peccatum originale esse substantiam hominis, sive ipsam animam rationalem. Nam

discrimen observandum est inter substantiam sive naturam humanam, & inter peccatum quod naturam hominis corrumpit. Scriptura enim docet etiam post lapsum Deum cuiusvis homini suam animam, corpus, rationem, sensus ac membra dare & conservare Psal. cxxxix, 5. Iob. x, 8. Peccatum autem Deus non creat, sed illud ortum est à Diabolo Joh. v, 44. & per unum hominem intravit in mundum Rom. v, 12. Totam vero naturam humanam peccatum hoc corrumpit, ita ut in ea sit defectus omnis boni & inclinatio ad omne malum.

9 Incipit autem ab ipso momento conceptionis Psal. l. 7. Et quanquam in baptismo remittitur, ejusque mortificatio à Spiritu sancto inchoatur, retinet nihilominus suam in carne habitationem, ut contra ipsum omnes sanctos tota vita sua pugnare sit necesse.

10 Discrimen peccati Mortalis & Venialis in eo non est, sicut docent Pontificii, quod nonnulla peccata per se & sua natura neque magni momenti sint, neque iram divinam mereantur: nam hæc sententia est divina: Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis Deut. xxvii, 26. In non renatis igitur & infidelibus omnia peccata sunt mortalia.

11 In renatis autem & fidelibus nonnulla sunt peccata, quæ fidem & Spiritum Sanctum non excutiunt, Vide Rom. vi, 7. & 8. 1, Ioh. i, 9. Psal. xxxii, 1. & hæc dicuntur peccata Venialia.

12 Sunt tamen peccata regnantia, quæ Christiani committere possunt, atque ita fidem & Spiritum Sanctum & gratiam Dei & remissionem peccatorum amittere Rom. iix, 13. Gal. v, 4.

13 Et abominanda est doctrina, Christianos non posse ullo peccato

*1. job. 2. v. 9.* peccato fidem & Dei gratiam excutere, item, credentibus nul-  
lum peccatum nocere posse. Quæritur autem unde sit quod  
in fidelibus alia peccata sint mortalia, alia venialia? Non  
quidem hinc est, ut prius dictum, quod nonnulla peccata se-  
cundum se in iudicio divino adeo levia sint; neque hinc,  
quod nonnulla adeo sint gravia, ut pro iis Christus non sa-  
tisfecerit, aut quod per fidem propter Christum remitti ne-  
queant. Ambrosius enim rectè dixit: omne peccatum per  
pœnitentiam fit veniale. Sed hinc petendum discrimen  
num peccato & concupiscentiæ resistamus, vel obtempere-  
mus & obsequamur.

¶ Residuum est in renatis in hac vita peccatum originis,  
neque prorsus quiescit, sed irritat cogitationibus, desideriis,  
propensionibus. Quum itaque homo renatus & fidelis ejus-  
modi motus, inclinationes, desideria & impulsus improbat,  
aversatur, neque opere complet, sed crucifigit & mortificat;  
quum animitus orat, hosce defectus sibi à Deo propter Chri-  
stum condonari, peccatum fit veniale. Nam etiamsi adsit  
peccatum, adest tamen vera quoque pœnitentia & fides, per  
quam Christus apprehenditur & remissio obtinetur. Nul'a  
igitur est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non  
secundum carnem ambulant sed secundum spiritum ut do-  
cet Paulus Rom. ix, i. Econtra, ubi animadvertit homo  
Christianus se concupiscentia irritari, & desideriis ejus non  
resistit, verum adprobat & sectatur, & occasionem quærit,  
qua satisfaciat iis, atque ita reapse & opere tandem com-  
plet; ibi nec pœnitentia est, nec fides: ira itaque Dei & æter-  
na condemnatio. Hæc peccata sunt mortalia; nam concu-  
piscencia postquam concepit parit peccatum: peccatum verò  
peractum gignit mortem Jac. i, 15. Et qui talia faciunt re-  
gnum Dei non possidebunt, Gal. v, 21.

De

*Aug. conf.* De causa peccati docemus, quod tametsi Deus creat & conseruat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum, quæ non adiuuante Deo avertit se à Deo, sicut Christus ait Joh. iix. cum loquitur mendacium ex se ipso loquitur.

CAPUT V.

DE VIRIBUS HU

MANIS.

*Aug. Conf. Art. XIIX.* DE libero arbitrio docemus, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem iustitiam & deligendas res rationi subiectas. Sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendæ iustitiæ Dei seu iustitiæ spirituales, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, sed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus Sanctus concipitur.

*Apolog. Ad artic. XIIX.* Non adimimus humanæ voluntati libertatem. Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit. Potest aliquo modo efficere iustitiam civilem seu iustitiam operum, potest loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire magistratibus, parentibus in opere externo eligendo, potest continere manus à cæde, ab adulterio, à furto. Cum reliqua sit in natura hominis ratio & iudicium de rebus sensui subiectis, reliquus est etiam delectus earum rerum, & libertas & facultas efficiendæ iustitiæ civilis. Id enim vocat scriptura iustitiam carnis quam natura carnalis hoc est ratio per se efficit sine Spiritu Sancto.

2. Quanquam tanta est vis concupiscentiæ ut malis affectibus sæpius obtemperent homines, quam recto iudicio. Et diabolus, qui est efficax in impiis, ut ait Paulus, non desinit inci-

*Cum illa est et illa causa. Deo e illa boni, est illa mali. Et deo et videt illa a mali. R. Majori. In ualeb in cog p se et necessariis. non a non est. illa p nec necessaria illa mali.*



HUMANIS.

9

incitare hanc imbecillem naturam ad varia delicta. Hæ causæ sunt, quare & civilis justitia rara sit inter homines.

4 Etiam si vero concedimus libero arbitrio libertatem & facultatem externa opera legis efficiendi, tamen illa spiritualia non tribuimus libero arbitrio, scilicet verè timere Deum, verè credere Deo, verè statuere ac sentire, quod Deus nos respiciat, exaudiat, ignoscat nobis &c.

5 In hac doctrinâ proponendâ præcipuè cavendum est, ne stabiliatur Pelagiana & Pontificia synergia vel in non renatis in actionibus spiritualibus, neque introducantur actus Enthusiastici.

Corp. doct.  
part. 1. pag  
20, 21. seq.

6 Et primò, quanquam humana natura per lapsum miserè corrupta & depravata est, non tamen in saxeam aut ligneam aut brutam naturam conversa est: verùm retinet post lapsum corpus & animam, intellectum & voluntatem, naturales vires & facultates, non quidem in rebus divinis & spiritualibus: sed in humanis inquam & politicis rationi subjectis & hanc vitam attinentibus retinet liberum arbitrium eligendi & reiiciendi, quanquam in magna infirmitate propter corruptionem naturæ & impedimenta à Diabolo objecta.

7 Secundò quod attinet peccatum, voluntas peccato subjecta est, ita ut non possit non peccare, neque possit aliquid agere quod Deo placeat.

8 Tertiò præcipua est quæstio, quid humanæ vires per peccatum corruptæ, & per Spiritum sanctum nondum renovatæ in spiritualibus & divinis conversionem ad Deum attinentibus, valeant aut efficere possint; quantum, inquam attinet verum & sincerum Dei timorem, fidem, caritatem &c. Respondendum, nihil hîc posse, sed ea opera esse solius sancti Spiritus. Addendum tamen, haut ita operari Spiritum sanctum conversionem hominis, ut nulla profus in mente, vo-

B

lun

mai get  
Serius  
Nali.



luntate & corde, hominis mutatio oboriatur: nam ubi nulla est innovatio aut immutatio animi & nullum desiderium divinæ gratiæ, nullus adsensus verbo habetur, nullum sequitur bonum propositum, ibi quoque nulla vera conversio.

9 Hæc autem est quæstio; Unde orientur hujusmodi mutationes, an eas homo suis viribus producat? Item; an homo suis naturalibus viribus initium faciat & postea suo auxilio subveniat Spiritus sanctus? Item; an inchoata per Spiritum sanctum hominis conversione homo suis propriis & naturalibus veteris Adami viribus conversionem suam adjuvare queat & cooperari.

10 Ad hæc omnia respondetur negativè. Primò enim secundùm scripturas *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* 1 Cor. II, 14. *non sumus idonei per nosmet ipsos ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis* 2. Cor. III, 5.

11. Secundò humanis viribus Scripturæ monumenta potentiam & facultatem quicquam in spiritualibus conandi aut efficiendi adimunt, sed tribuunt impotentiam & contrarias Deoque inimicas inclinationes, Gen. XIX, 2. Rom. IX, 7.

12 Tertiò totam conversionem sacræ literæ Deo & Spiritui sancto adscribunt 2. Cor. III, 5. Phil. I, 29. 2, 19. Joh. VI, 44.

13 Quam autem Spiritus sanctus suum in nobis opus inchoat, eo ipso accipimus, etsi in magna infirmitate facultatem, voluntatem, studium & propositum rectè agendi, non quidem ex nobis, sed ut donum Dei, secundum Augustini dictum: Nos ergo volumus & operamur sed Deus in nobis operatur & velle & facere. Hoc expedit nobis & credere & dicere, ut sit humilis & submissa confessio & detur totum Deo. Tunc enim tutius vivimus, si totum Deo damus non autem nos illi ex parte & nobis ex parte committimus. De bono perseverantiæ cap. VI. & 15.

Quar-

14. Quartò notandum est, hæc quæ diximus Spiritum sanctum sine mediis non operari, sed per auditum verbi & usum sacramentorum.

15. Denique & hoc observandum est Spiritum sanctum suâ operatione, quæ ad conversionem attinent, momento non efficere, sed per ordinaria media inchoari confirmari & perfici. Iis itaque mediis homines ne resistent, sicut resistebant Judæi Act. VII, 51, sed dona Dei sedulo & studiosè exerceant, ut fiat quod alicubi scribit Augustinus: *Deus agit in nobis ut velimus & agamus, nec ociosa in nobis esse patitur, quæ exercenda non negligenda dedit, ut nos cooperatores simus gratiæ Dei.*

## CAPVT VI.

## DE CHRISTO.

**N**ecessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi unusquisque fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quod Dominus noster Jesus Christus Dei filius Deus & homo est. Deus est ex substantia patris ante secula genitus, & homo ex substantia Matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen sed unus est Christus. Unus autem, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Ex hoc fundamento, quod in Christo unica sit persona, &

B 2

duæ

Symb.  
Athanas.Declar. nõ-  
null. artic.

part. 2.  
Corp. Do-  
ctrinae, c. 1.  
pag. 52,  
53. 54.

duæ differentes naturæ, secundum scripturam, & primitivæ Ec-  
clesiæ symbola deducuntur loquutiones, quas adpellatione  
Communicationis idiomatum intelligimus.

3 Non sunt autem illæ unius modi, neque sine discrimine  
intelligi aut explicari possunt. Triplices vero communiter  
statuuntur.

4 Nam primò, quoniam duæ naturæ in una Christi persona  
sunt unitæ, proprietates utriusque naturæ toti personæ tri-  
buuntur in concreto.

5 Et quia in ipsa quoque hypostatica unione naturæ sunt &  
manent distinctæ, adhiberi solent particulæ distinctivæ, ut in-  
telligi possit, utrius naturæ sit proprietas, & secundum utram  
naturam ea personæ tribuatur.

6 Secundò longè alius loquendi modus est, quando de ope-  
ribus ad officium Christi pertinentibus loquimur. Ea enim  
personæ tribuuntur, non solum secundum alterutram natu-  
ram, sed secundum utramque simul. Nam in ejusmodi operi-  
bus officii utraque natura suas proprias habet operationes,  
non quidem una seorsim ab aliâ, sed ambæ naturæ simul ope-  
rantur una junctim cum aliâ, quæque tamen, quod cujusque  
proprium est.

7 Tertiò longè adhuc alia & diversa loquendi ratio est, quan-  
do de majestate & exaltatione humanæ naturæ loquimur, &  
docemus, quantum ipsa virium & potestatis per hypostaticam  
cum Deitate unionem sit consequuta. Divinitati quidem per  
eam unionem nihil accedit aut decedit, quandoquidem immu-  
tabilis est.

8 Retinet quoque humana natura in hypostatica unione  
essentiales & naturales suas proprietates: quia tamen per uni-  
onem adsumta est in consortium divinæ, secundum eandem  
quoque supernaturales, incomprehensibiles, & ineffabiles præ-  
rogativas consequuta est.

Unicè

Principium Quod redemptionis nostræ est Solus Christus, procedit à gemino Principio Quo, v. g.  
in ope redemptionis Xpi naturam humanam naturam passus, crucifixus et mortuus est. Sed à divina natura  
passioni illi infinito valor accessit, ut nobis salutaris ea posset.

incarnatio  
sua natura  
et natura  
et soli

In nomine  
abstracti  
natura v. g. car-  
nis est  
et in his  
et generalis







part. 7 pag.  
8. lat. b.  
seq.

LEGE & EVANGELIO. Voce autem Legis cum in N. T. utimur, legem moralem intelligimus.

2. Hæc duo capita junctim in Ecclesia tradi & doceri debent, neque sola lex sine Evangelio, neque solum Evangelium sine lege, ita tamen ut accurate ab invicem distinguantur, & distinctum maneat utriusque munus & officium.

3. Officium atque opus legis est ostendere peccata, & iram Dei adversus peccata, maledictionem & æternam mortem, unde ministerium mortis dicitur, 2. Cor. III, 7. Per legem cognitio peccati Rom. III, 20. Imo lex malleus ille Dei est Jer. XXIII, 29. (Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus & quasi malleus conterens petram?) qui conterat cor lapideum & impænitens efficiatque cor anxium & contritum quod doleat de peccatis & iram divinam extimescat.

4. Officium autem Evangelii est revelare justitiam Christi, quâ nos coram Deo ex gratiâ per fidem sine meritis operum à peccatis liberamur, justii constituimur, & hæredes æternæ vitæ. Atque ita Evangelium organum & medium est, per quod Deus perturbatas conscientias solatur, ac iterum erigit & remissione peccatorum ac justitiâ donat; estque ut Paulus loquitur potentia Dei in salutem omni credenti Rom. I, 16.

5. Breviter Lex doctrina est de nostris operibus, quæ nos facere oporteat; Evangelium verò docet quid Christus fecerit, & quod id ipsum fide adprehendere debeamus. Cum igitur Minister verbi impios & securos homines eò deducere cupit, ut peccata sua agnoscant, & tangantur sensu iræ divinæ & metu æternæ mortis, doctrinâ legis uti debet; Lex enim iram operatur Rom. IV, 15. Ac cum anxios solari & erigere conatur, cupitque iis ostendere, unde reconciliationem, remissionem peccatorum & æternam vitam peti oporteat, neutriquam ad legem eos deducere debet. Non enim data est lex quod

quod possit justificare aut vivificare Rom. III, 20. Gal. III, 21. Doctrina autem Evangelii illis est proponenda, per quam remissio peccatorum, justitia & æterna vita propter meritum Christi fide apprehendendum offertur. Denique cum de nova obedientia sive operibus renatorum agitur observandum est, legem quidem docere quid fieri debeat, minimè verò virtutem, per quam fiat, largiri; sed à Spiritu Sancto corda renovari Tit. III, 5. cujus quoque fructus & effectus sunt bona opera Gal. v, 22. Spiritus autem Sanctus non accipitur ex operibus legis sed ex auditu fidei Gal. III, 2.

6 Prius itaque necesse est, ut persona Deo sit reconciliata & renovata per Spiritum Sanctum: deinde animum adplicare debet, non quidem ad opera propriæ ad inventionis & traditionum humanarum Deut. XII, 32. Ezech. XX, 18. Matth. XV, 9, verùm ad opera à Deo in lege monstrata & mandata.

7 Sed cum & manifestum faciat lex, ne quidem renatorum opera integra & perfecta esse, Rom. VII; rursus hic subvenit Evangelium & docet, hujusmodi opera Deo placere, non ob sui perfectionem sed ob fidem & meritum Christi, nempe quod is qui agit, Deo propter meritum Christi fide apprehensum, sit reconciliatus & acceptus. *Iustificati enim fide pacem habemus apud Deum* Rom. v, 1.

8 Damnantur Pontificii, statuentes legem à nobis posse impleri, atque iis operibus vitam æternam impetrari.

9 Damnantur Antinomi, qui legem ex Ecclesiâ eijciunt & agnitionem peccati ac contritionem ex Evangelio doceri volunt.

10 Cum tres sint usus legis, primus ut ostendat peccata & iram Dei; secundus ut coërceat contumaces Gal. III, 19. I. Tim. 1, 9. tertius ut sit credentibus in Christum regula & norma, juxta quam vitam suam & actiones instituant, malè illi faciunt qui hunc postremum rejiciunt.

CAPUT

# DE SACRAMENTIS IN GENERE.

*Corp. doct. part. 1 pag. 22. lat. b. seq.* **S**acramenta sunt ritus sive externa visibilia signa mandato Dei expresso in novo fœdere innixa, habentia adnexam promissionem, quòd per ipsa Deus unicuivis in vera fide adhibenti & utenti, gratiam suam offerre, donare, confirmare & obfirmare velit.

2. Atque hinc facile colligitur propriè loquendo non esse septem Sacramenta, ut docent Pontificij.

3. Conjugium quidem divinitus institutum est, & mysterium magnum, typicè adumbrans Christum & Ecclesiam Eph. v, 32. Quia verò deficit externus ritus à Deo mandatus, item promissio divinæ gratiæ & remissionis peccatorum per ipsum, tanquam per medium adplicandæ, propriè loquendo non est Sacramentum, quale Baptismus & sancta cœna.

4. Idem iudicium esto de Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ.

5. In Confirmatione & Extrema Unctione desiderantur, quæ ad rationem veri Sacramenti necessariò requiruntur, scilicet Mandatum divinum in Novo testamento promulgatum, & Promissio, quod per tale medium Deus conferre velit Spiritum Sanctum & remissionem peccatorum.

6. Et certè ingens petulantia est sine mandato & promissione divina ritibus humanis Spiritum Sanctum, Dei gratiam & remissionem peccatorum alligare.

7. Hæc itaque quatuor Sacramenta censei non debent, quælia Baptismus & Eucharistia.

8. Etsi autem hæc Sacramenta esse negantur, de Conjugio tamen & Ordinatione Ministrorum informandi sunt homines, ne in contemptum hoc aut illud veniant : Quin neque pueris  
in

*quod deficit  
mandato ei  
sine gratia  
est Sacramentum*

*Signum  
est p  
u  
et fidel  
ob p  
ob 3*

in Christianâ religione legitima confirmatio, nec ægris neces-  
saria consolatio eripi debet.

9 Cum igitur quæritur, quot sint Sacramenta Novi Testa-  
menti, manifestum est Baptismum & Eucharistiam vera esse  
Sacramenta, quia & mandatum habent hi ritus & promissiones.

10 Absolutioni verò certus externus ritus à Deo tributus  
& adsignatus non est: quia tamen per Absolutionem promissio  
gratiæ singulis petentibus & credentibus adplicatur, non  
male faciunt, qui Sacramentum adpellant. Sed super hac re  
*λογισματίας* excitandæ non sunt. *Uad Apol. Aug. usq. Confes. pag. 340.*

11 Error Calvinianorum accuratè cavendus est, docentium  
Sacramenta esse externa signa, gratiam Dei tantum significan-  
tia, non autem conferentia & adplicantia.

12 Contra autem statuendum est, esse Sacramenta actiones  
divinas, quas Deus ipse per suos ministros peragat, & quibus  
ipse promissionem gratiæ & bona per Christum parta donet,  
confirmet & obsignet.

13. Eamque ob causam Sacramentorum efficacia à Ministro-  
rum dignitate aut indignitate minimè dependet.

14. Sentimus præstandum esse, ne negligantur res & cere-  
moniæ in scripturis institutæ, quotcunque sunt. Nec multum  
referre putamus, etiam si docendi causa alij numerant aliter, si  
tamen rectè conseruent res in scriptura traditas. Nec Veteres  
eodem modo numeraverunt.

*Apol. ad  
Art. XIII.*

15. Nemo enim vir prudens de numero aut vocabulo magno,  
peregrinabitur, si tamen illæ res retineantur, quæ  
habent mandatum Dei, & pro-

missiones. *Si tres primarij Sacramentorum N.T. 1) gratiæ oblatio  
(2) oblatio collatio (3) Collatio auctio (4) auctio oblatio.*

*Signi sacramentale est res terrestri. Sed simul cum  
evangelio mystice unita. Signi sacramentalis signatum  
est promissio gratiæ quæ Sacramento certo modo significat  
et quædam auctoritas. tum videri auctentibus officii  
et fidelibus offert, hoc collatio confirmat, obsignat et certificat  
et primo signum baptismi. ob actum per adolentem.  
ob actum baptismi. l. sigillum*

CAPUT



DE SACRAMENTIS IN GENERALE  
CAPUT IX.  
DE BAPTISMO.

Corp. doct.  
part. 1 pag.  
26, 27.

**P**ontificiæ consecrationes aquæ Baptismatis, in his Eccle-  
siis usurpari non debent.

Ita Christus est baptizatus, & ita baptizarunt Apostoli, ut  
adhibita fuerit aqua, non super quam prius consecrationes  
& conjurationes factæ, sed communis & obvia.

Essentia verò Baptismi hæc est, quod sit lavacrum aquæ  
in verbo Eph. v, 26. Ita ut verus & perfectus sit Baptismus,  
quicumque in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti peragitur,  
licet nullæ aliæ adhibeantur ceremoniæ.

Neque enim confundenda sunt, quæ pertinent ad sub-  
stantiam Baptismi, & quæ cæteroquin adhiberi solent, ut pre-  
ces, lectiones, aliæque ceremoniæ.

Quamquam itaque multæ superstitiones à Pontificiis  
Baptismo adjectæ fuerunt, quia tamen substantialia ejus man-  
sere salva, propterea à Pontificiis baptizati verum & perfe-  
ctum Baptismum consecuti sunt, inprimis, cum is nulla mi-  
nistri dignitate nitatur.

Porro doctrina de Pædobaptismo contra errores Ana-  
baptistarum rectè tradi & confirmari debet. Infantes omnes  
in peccato concepti & nati sunt & natura filii iræ Eph. ii, 3.  
Christus autem sicut pro omnibus hominibus, ut eos à pec-  
cato liberet, ita quoque pro infantibus mortuus est. Gratia  
verò per Christum parata non sine mediis confertur, sed per  
media nempe Verbum & Sacramenta.

Atqui per verbum cum infantibus agi non potest. Ergo  
per Sacramenta agendum est. De sancta verò cœna ait Pau-  
lus: *Homo probet seipsum; jubetque adeo discernere corpus  
Domini*, id quod infantes præstare non possunt. Reliquus  
ita-

itaque est Baptismus, qui sit medium, per quod infantes re-  
 -generentur, & remissionem peccatorum accipiant. Bapti-  
smus enim est lavacrum regenerationis & renovationis Tit.  
 III, 5. Et Petrus jubet Baptismum suscipere *in remissionem pec-*  
*catorum Act. II, 38.* Et *quicumque baptizantur, Christum induunt*  
 Gal. III, 27.

Ulterius redarguendus est error Calvinianorum do-  
 -centium liberos renatorum, etsi in peccato concepti sunt &  
 -nati, jure tamen quasi hæreditario per fideles parentes hoc  
 -obtinere, ut ne quidem ante Baptismum filii sint iræ & sub  
 -potestate Satanae: sed etiam sine baptismo pertineant ad re-  
 -gnum Christi & gratiæ: ac propterea Baptismum non esse nisi  
 -externum signum adhibendum in testimonium, quod jam  
 -pridem hujusmodi infantes remissionis peccatorum & salu-  
 -tis aeternæ participes fuerint.

Contra Servator Joan. III. Quod natum est ex carne  
 -caro est; Et nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non  
 -potest introire in regnum Dei.

## CAPUT X.

## DE SANCTA EUCHARISTIA.

IN memoriam sacrificii propitiatorii, semel in cruce pera- *Corp. doct.*  
 -ti, Servator ipse sanctam coenam instituit, in qua fieri jussit *part. 1 pag.*  
 -sui suæque mortis commemorationem, usque quò veniat *30. & seq.*  
 -judicare vivos & mortuos.

Hac autem coena tamquam Testamento coelestes the-  
 -saurus sanguine suo partos discipulis legavit, ita ut eosdem  
 -omnibus fidelibus adplicare, confirmare, & obsignare velit  
 -eo ipso, quo una cum pane suum corpus pro nobis traditum,  
 -& cum vino sanguinem suum pro nobis effusum mandu-  
 -candum & bibendum porrigit.

Reverenter itaque administranda est sancta coena: & quia sacrilegus est, qui vel hominis testamento aut addit aliquid, aut admit, quanto magis sacrilegus erit, qui testamentum Filii Dei violarit.

Eam ob rem administratio, quæ sub una specie fit, tolerari non potest, quippe contraria institutioni & expresso Servatoris mandato; juxta cujus tenorem & panem & vinum porrigi oportet.

Et quoniam ipse instituit, quodcunque corpore & sanguine suo factum voluit, nempe ut in sui commemorationem esui esset & potui, ingens peccatum est hoc Sacramentum includere, circumgestare, & peculiarem ejus cultum ac venerationem instituere.

Sed qui mandato Servatoris obtemperare cupit, sæpe utitur sancta coena: sæpe enim commemoratio facienda est mortis Domini, quæ quoniam à nobis multotiens negligitur, eam hoc sacramento ipse excitatam & adiutam voluit.

Non autem quisquam ex opere operato Dei gratiam meretur, nempe præcisè vi solius facti, quo coenam participat: sed *probet homo seipsum, ut judicium comedat & reus fiat corporis ac sanguinis Domini*, 1. Cor. II.

Hæc autem probatio in eo est, ut circumspiciat homo Christianus, num peccata sua agnoscat, de iis doleat, potissimum verò, an fide Christi meritum adprehendat. Nam qui ad hunc modum paratus fuerit, Sacramentum dignè accipit, non ad judicium, sed ad confirmationem suæ fidei.

Neque absterreri debet, qui fidem suam infirmam & exiguam esse intellexerit, nam in eum ipsum finem instituta est sancta coena, ut per Christum fides confirmetur & augeatur.

Hæc autem omnia supponunt realem præsentiam corporis & sanguinis Christi, quam negant & impugnant Calviniani,



niani, nihilque aliud in sancta coena percipi docent, quàm panem & vinum, quæ tamen dicantur corpus & sanguis, quod sint signa eorum, per quæ vel significetur, vel offeratur & applicetur virtus & efficacia ipsorum absentium.

Contra unusquisque consideret, verba hæc esse testamentaria, quæ à signis & tropis longissimè abesse solent.

Neque etsi hæc verba aliquoties in scripturis repetuntur, alia eis interpretatio additur.

Neque hic sensus cum veritate corporis humani jam adscensi ad cœlos, aut ullo articulo fidei nostræ pugnat.

Facimus itaque & sentimus cum articulo X Augustinæ Confessionis, qui de coena Domini docet, quod corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuuntur vescientibus in coena Domini, & improbat secus docentes.

## CAPUT XI.

## DE MISSA.

Pontificia Missa est abominatio abominationum, quæ cum puritate Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ nullo modo consistere potest.

2 Non autem abominatio Missæ in eo est, quod è psalmis canuntur Introitus, Tractus, Sequentiæ; quod è scriptis Prophetis & Apostolicis lectiones fiunt: nam scripturam legere, laudes & gratias Deo dicere non tantum licitum est; sed & mandatum.

3 Quamquam in hac quoque parte abusus apud Pontificios invaluit: omnia enim peraguntur idiomate peregrino, contra doctrinam Pauli I. Cor. XIV.

4 Et multotiens admiscetur invocatio Sanctorum, quæ scripturis contraria est.

5 Quod attinet albas casulas, cereos & similia, neque in

hisce est abominatio Missæ: hujusmodi enim adiaphora sunt, in quibus libertas Christiana potestatem habet statuendi, quod faciat ad decorum & ad ædificationem Ecclesiæ.

6 Hæc autem abominatio est Missæ, quod Sacrificulus dum Canonem peragit, corpus & sanguinem Christi, quæ se per Transubstantiationem præsentia habere existimat, nimia gestulatione ridiculè tractat, atque hoc ipso præ se fert, se corpus & sanguinem Christi æterno patri denuo offerre in sacrificium propitiatorium, quo à Patre cœlesti gratia & remissio peccatorum & quæcunque alia divina beneficia impetrentur omnibus adstantibus, aut Missam procurantibus, & non tantum absentibus, sed & mortuis.

7 Hæc autem adversantur Scripturæ docenti unum esse sacrificium propitiatorium à Servatore semel in cruce peractum, atque id ipsum sufficientissimum, ut nullâ iteratione opus sit.

8 Secundò non peragitur Missa sine contumelia sacrificij Christi, nam sacrificium aliquod iterari indicium est imperfectionis ejus Hebr. x, 11.

9 Tertiò quoniam solius Christi est se in sacrificium Deo patri offerre, non sine flagitio id ipsum sacrificulis adscribitur.

10 Quartò sacrificio Missatico homines à vero Christi sacrificio abducuntur.

11 Quintò quia sacrificium sine morte & sanguine esse non potest, Sacrificulus Missaticus nihil aliud agit, nisi ut, quantum in se est, Christum denuo crucifigat.

12 Contra hos errores docendum est, unicum esse sacrificium pro peccatis nostris propitiatorium, idque semel peractum, quo sufficienter præstitum sit, quicquid ad obrinendam remissionem peccatorum & æternam vitam requirebatur. Heb. vii, 27. ix, 28. x, 10, & 12, & 14. At-

13 Atque hujus sacrificii efficacia & meritum in verbo & sacramentis nobis offertur & adplicatur; nosque cum vera fide id ipsum adprehendimus, ejus & omnium meritorum ejus participes reddimur : & hoc est medium , quo à Patre cœlesti per Christum gratiam & æternam salutem consequimur, nec alio externo sacrificio in Novo Testamento opus est.

14 Alioquin interna & spiritualia sacrificia in Novo etiam Testamento bene multa habemus, nempe sacrificia laudis Hebr. xiii, 15. Psal. l, 14. ( precum Ps. cxliii. ) cordis contriti Ps. li, 19. justitiæ Ps. iv, 6 caritatis & beneficentiæ Phil. iv, 18. Hebr. xii, 16. & breuiter uniuersæ nouitatis in vita hominis Christiani Rom. xii, 1.

15 Sed hæc spirituales hostiæ sunt i. Pet. ii, 5. factæ in Spiritu & unitate, non quidem ad impetrandam remissionem peccatorum, sed ad glorificandum Deum.

## CAPUT XII.

## DE CONFESSIOE

## ET ABSOLVTIONE.

**I**N Pontificia confessione hæc duo imprimis improbantur. *Corp. doct. part. 1 pag. 23. lat. b. & seqq.*  
 1. Unum quod perfectam enumerationem omnium peccatorum exigant, ita ut negent remitti peccatum coram Ministro non detectum sive voluntariò suppressum; Alterum quòd hoc confessionis opus meritorium statuunt.

2. Hæc quidem improbamus : Interim Confessionem penitus ex Ecclesia non eliminamus. Nam coram Deo quisque quotidie sua confiteatur peccata Psal. xxxii, 5. Et qui proximum offenderit, id ipsum quoque agnoscat & deprecetur Jacob. v, 16.

3. Confessio autem quæ coram ministro fit ab ijs, qui sancta Eucharistia uti volunt, ideo retinenda est 1. ut Minister sciat,

sciat, an quis solvendus sit vel ligandus; 2. instructionis, 3. co-  
hortationis & 4. consolationis ergo 5. ne quis sibi in iudicium  
corpus & sanguinem Servatoris accipiat 6. ut à Christo per  
veram fidem quæsita absolutio mediante ministro impetretur.

4 Est autem Absolutio nihil aliud, quàm promissio Evan-  
gelica de gratia Dei & remissione peccatorum per fidem pro-  
pter Christum impetranda, eadem quidem cum communi  
prædicatione, hac tamen differentia, quod illa promissio in  
communi prædicatione omnibus credentibus, in Absolutio-  
ne verò singulis offertur & applicatur.

5 Neque enim in communi prædicatione promissio Evan-  
gelica narrative aut recitative tantum tractanda est, sed ad-  
monendi sunt homines, ut eam fide adprehendant; & qui ita  
adprehenderit, certus sit sibi Deum quicquid per ipsam polli-  
citus est, conferre.

6 Sæpe autem infirma fides generalibus promissionibus &  
concionibus non satis confirmatur. Filius itaque Dei, ut infir-  
mam fidem eò magis confirmaret, & perturbatam mentem  
erigeret, non tantum in communi Evangelium prædicavit,  
sed etiam in particulari remissionem peccatorum adnuncia-  
vit paralytico Matth. ix; mulieri peccatrici Luc. vii. Zachæo  
Luc. xix; Latroni in cruce Luc. xxiii.

7 Et hanc potestatem exercuit, non tantum quando ipse  
in terris vixit, & immediate peccata remisit, vetum claves  
coelorum Apostolis quoque suis promisit & concessit Matth.  
xvi. & xix. Joh. xx.

8 Non quidem ita ut ullus homo pro sua persona pote-  
statem habeat remittendi peccata, hoc enim solius Dei est:  
sed quod Christus ipse suam potestatem hic in terris per mi-  
nisterium ut medium exercere velit.

Pro-

Just  
re  
ab  
Fide  
de

9 Propterea in Absolutione non respicienda est persona ministri, sed hoc fundamentum attendendum, Filium Dei ipsum presentem esse, & remissionem peccatorum tibi conferre ac confirmare.

## CAPUT XIII.

## DE JUSTIFICATIONE.

**H**ic articulus præcipuus est totius Christianæ doctrinæ, sine Corp. doct. quo nemo gratiæ Dei & vitæ æternæ potest esse particeps. part. 1.

2 Nemo hominum sibi metipsi gratiam Dei, remissionem peccatorum & salutem impetrare potest. pag. 14.

3 Neque intercedentibus precibus & meritis sanctorum;

4 Neque per humanas traditiones, aut proprias peculiari-um operum adinventiones.

5 Neque quod tamen magis verisimile videri posset, per opera à Deo in lege mandata.

6 Non quidem ideo quod illa fieri non debeant, sed quod opera nostra in hac vita, propter peccatum in carne inhabitans, plenè perfecta & munda non sint.

7 Neque rectè docent qui dicunt, neminem quidem per sua opera salutem mereri posse, nam solum Christum hanc nobis promeritum esse: sed cum agatur de eo, quomodo meritum Christi participes fieri debeamus, tum huc facere non solum fidem, verum etiam bona opera.

8 Neque sine discretionem & necessariam explicationem docendum est, bona opera ad salutem necessaria esse.

9 Item impossibile esse solam fidem in Christum sine operibus salvam; Item bona opera perniciose esse ad salutem.

10 Sed docendum est, sicut solus Christus gratiam Dei & salutem nobis meritus est, sic solam fidem sine efficientiâ &

*Justificatio est actus Dei immanens, quo solent ob peccata sua eterna damnationis ream, pro inextinguibili sua misericordia per meritum Christi fide apprehensam, a re, ab absolute, et heredem vitam æternam sortitur.*

*Fides justificans est fiducia quam quis in merito Christi et promissionibus divinis assensu speciali ad se applicatis, ita posuerit, ut sibi ob meritum Christi peccata remitti et vitam æternam*

cooperatione operum illud esse medium, per quod meritum Christi apprehendamus.

11 Simul etiam inculcandum est, veram quidem fidem, non esse sine bonis operibus, sed operari per caritatem; quod tamen non obstat, quò minus solius fidei officium & proprietas sit, esse medium sive organum quo à nobis gratia Dei & æterna salus per Christum parta accipiatur.

12 Falsò docent Pontificij Justificationem nostram non tantum formaliter consistere in remissione peccatorum, sed etiam inhærente sanctificatione sive novitate, neque recte loquuntur, qui dicunt nos coram Deo Justos esse imputatione & inchoatione.

13 Opera enim nostra ex articulo Justificationis excludi debent, ne sint vel meritum vel medium adplicationis, vel forma aut pars nostræ Justificationis coram Deo ad vitam æternam.

14 Neque essentialis Dei Justitia formaliter est nostra Justitia.

15 Pontificiorum doctrina de dubitatione, qua jubent fideles dubitare an in gratiâ sint apud Deum, pugnat cum Scripturis.

## COROL.

**M**ateria sive subjectum Justificationis est homo peccator. Formalis causa est remissio peccatorum cum imputatione Justitiæ Christi. Efficiens princeps est Gratia Dei. Promerens est meritum Christi *ἡ ἀγαθή*. Instrumentalis adplicans sive offerens à parte Dei est Verbum cum Sacramentis; adprehendens à parte nostri est Sola Fides. Finalis est Gloria Dei & salus nostra. Proprium consequens est pax conscientix & novitas vitæ.

DE

CAPUT XIV.  
DE POENITENTIA.

**V**Ox Pœnitentiæ nonnunquam in Scripturis pro unâ parte Conversionis, quæ contritio dici solet usurpatur ut Marc. 1, 15. Act. xx, 21. aliquando pro totâ conversione, ut Matth. 5. & seq. 111, 2. Act. IV, 17. 26. 20. *Corp. doct. part. 1 pag. 5. & seq.*

Cum per pœnitentiam tota conversio intelligitur, usitatum est, ut tres partes habere dicatur I. Contritionem sive terrores conscientiæ ob commissa peccata, II. Fidem, quæ ex Evangelio adprehendit gratuitam remissionem peccatorum ob meritum Christi III. Fructus fidei, hoc est novitatem vitæ, sive novam obœdientiam; Neque de hac partitione inutiles λογισμαί exciandæ sunt.

Cum autem quæstio est quo medio impetretur Remissio peccatorum, neutiquam tum huc referenda est Nova obœdientia: gratiam enim & remissionem vitamque æternam solus Christus nobis meruit, eamque nos solâ fide adprehendimus & acceptamus; exinde consequuntur fructus novæ obœdientiæ, ut ita quidem in verâ conversione simul sint sive concurrant, Contritio, Fides & Novitas vitæ: cum discrimine tamen hæc tria proponenda sunt, ut ostendatur quodnam eorum præcedat quod subsequatur & præcipuè quodnam sit medium per quod Remissio peccatorum accipiatur.

Pontificii partes pœnitentiæ constituunt Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, nullâ fidei mentione factâ.

De Contritione male docent, mereri eam remissionem peccatorum, & propterea opus esse, ut in quantitate peccatis respondeat.

Itidem malè de Confessione, necessarium esse coram sacerdote omnia mortalia peccata enarrari; neque remitti, ea quæ non enarrentur.

Itidem malè de satisfactione, nos poenas, quas peccando  
 11 commeruimus, bonis operibus solvere posse, atque ita pro  
 peccatis satisfacere.

*Corp. doct.  
part. 1. pag.  
17. seq.* Signa è quibus colligere quis potest, an veram poeniten-  
 tiam habeat, hæc ferè sunt, si è verbo Dei magnitudinem pec-  
 catorum & magnitudinem iræ divinæ adversus peccata con-  
 sideret, atque inde animi angatur, peccata detestetur, cum se-  
 rio proposito ea in posterum vitandi: simul desideret liberari  
 à peccatis & irâ divina, & ex Evangelio fidem concipiat, non  
 ita tantum ut articulos fidei veros esse credat (nam & Diabo-  
 li credunt esse Deum Jac. 11, 19.) sed in Christo ejusque me-  
 rito & satisfactione fiduciam & spem collocet, denique fidem  
 & conversionem suam testatum faciat odio & fugâ malorum,  
 amorem autem studio & exercitio bonorum operum.

Hæc autem facultatibus virium humanarum præstari ne-  
 queunt: sed Spiritus Sanctus ea donat, efficit, confirmat &  
 auget; neque tamen sine medio, sed per Verbum, tamquam  
 per medium in hunc finem à Deo datum & ordinatum; de  
 quo posthac agendum erit.

## CAPUT XV.

## DE BONIS OPERIBUS.

*Corp. doct.  
part. 1. pag.  
17. seq.*

**B**ona & Deo accepta opera ea tantum sunt, quæ Deus ipse  
 in suo verbo præscripsit & præcepit.

Docendi sunt homines, non tantum in templis & cœno-  
 biis Deo cultum & servitium præstari posse: sed quandocun-  
 que homo fidelis Deo propter Christum reconciliatus, propo-  
 situm habet obediendi Deo, seque in communibus Decalogi  
 operibus, imo quotidianis vocationis suæ officiis, exercet id-  
 ipsum dici cultum, qui Deo propter Christum sit gratus &  
 acceptus.

Quia



DE BONIS OPERIBUS.

29

Quia è sanctis scripturis docetur, Deum nos justificare & salvare, non ex operibus, sed ex gratia propter Christum, per fidem, absque coëfficientia operum, hac doctrinâ sine dubio multi abutentur, quasi haut opus sit aliquid boni agere: propterea diligenti & accurata explicatione declarandum erit; veram fidem, ut bonam arborem, non esse sine bonis fructibus, multò minùs *malos fructus facere* Matth. vii, 2. Pet. i. & ubi non sequentur fructus bonorum operum, ibi non esse veram & vivam fidem, sed *fucatam & mortuam* 1 Tim. i. Jac. ii. Vera enim fides ab una parte Christum & Dei gratiam in Verbo & Sacramentis apprehendit, ab alterâ per caritatem *efficax est.* Gal. v.

Damnatur itaque qui dicunt: Qui bona opera facit Pontificius est; Evangelicis ea necessaria non sunt. Neque enim Christus morte suâ nos redemit ut criminibus & flagitijs operam dare impunè nobis liceret, sed ut *mundaret sibi populum acceptibilem, sectatorem bonorum operum* Tit. ii, 14 & ut *serviremus illi in sanctitate & justitia* Luc. i, 75.

Tolerari itaque non debent qui impugnant aut condemnant usitatas loquutiones; Quod bona opera necessaria, & fidem certò & necessariò sequi debeant.

Non enim adiaphorum aut arbitrarium est, bona opera *facere vel omittere sed exstat serium Dei mandatum ea à nobis requirentis,* Joh. xv, 12. *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos,* 1 Joh. iv, 21: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligit & fratrem suum. Non diligamus autem verbo & lingua sed facto & veritate* 1 Joh. iii, 18.

Causæ verò propter quas facienda sunt bona opera triplices statui possunt. Primò facienda sunt bona opera propter Deum, quia Deus mandavit, ut ita Deo obsequium & cul-



tus præsteretur ipseque glorificetur Matth. v, 16. I. Pet. iv, 11, 14. & 16.

Secundò propter proximum, ut ei in necessitatibus succurramus I Joh. iii, 17. ne offensionem ansam præbeamus & vituperetur ministerium II Cor. vi, 3. sed potius adversariis os obstruatur Tit. ii, 8. I Pet. ii, 15. & alii nostro exemplo rectè agere discant.

Tertiò propter nosmet ipsos, ut certum testimonium fidei nostræ habeamus; item ne amittamus fidem & Spiritum sanctum, sed potius vocationem nostram firmam faciamus II Petri i, 10. Et quia Deus pœnam malis, & mercedem bonis operibus promittit.

Nam etsi bona opera non merentur Dei gratiam & æternam salutem, habebunt tamen suam & quidem præclaram mercedem, cum in hac vita in altera vita, quanquam non ex ipsa dignitate operum, sed ex gratia.

## CAPVT XVI.

DE JEIUNIIS ET PRE-  
CIBUS.

Corp. doct.  
part. i pag.  
34. let. b.

Reprehensio jejuniorum Pontificiorum ita à plerisque accipitur ac si tessera Evangelicæ doctrinæ esset sobrietati ac temperantiæ nuncium mittere: cautè igitur hac in parte agendum.

Et ad eum modum reprehensio instituenda est, ne opinio suboriatur quasi ipsum jejunium illicitum aut à scripturis prohibitum esse doceamus: sed distinctè indicandum qua in re aberrent Pontificia jejunia, quemadmodum Servator ipse Pharisæorum jejunia reprehendit Matth. vi, 16.

Nempe Pontificii jejunium in discrimine ciborum collocant

DE JEJUNIIS ET PRECIBUS.

31

cant ut quod non stet quo minus optimis piscibus ingluvies repleatur & ad saturitatem imò luxuriam usque splendidae epulae instituantur.

Secundo Mortale peccatum esse docent si quis nonnullis diebus carne, ovis, butyro &c. modicè & temperanter vescatur.

Tertiò jejunium docent esse opus meritorium, & quo pro peccatis divinae justitiae satisfieri queat.

Hosce errores & superstitiones redargui oportet & simul doceri, quænam jejunia scripturae postulent & commendent.

Est enim primò spirituale jejunium abstinere à peccatis & justitiae & misericordiae operibus studere Jes. LIX, 6 & seqq.

Secundò est quotidianum jejunium vitare crapulam, ciboque & potu sobriè & moderatè uti Luc. XXI, 34. Rom. XIII, 13. 1 Thess. V, 6. 1 Pet. V, 8.

Tertiò docet scriptura ita cibo potuque curandum esse corpus ne ad perulantiam & lasciviam incitetur, & à piis actionibus retrahatur aut impediatur; Quum itaque Christianus aut parcius solito comedit, aut aliquamdiu à cibo abstinet ut caro dometur & spiritus eo fit alacrior ad auditum & meditationem verbi usumque Sacramentorum, ad preces item & gratiarum actiones & considerationem peccatorum, habet ille hujus sui jejunii in scripturis commendationes & exempla Matth. VI, 17. 1 Cor. VII, 5. 2 Cor. VI, 5. Act. XIII, 2. 14, 23.

Et propterea ut plurimum in scripturis jejunia cum precibus conjunguntur Matth. XVII, 21. Luc. II, 37.

Atque hinc antiquitus profestis diebus jejunia instituta, ut unusquisque postero die ad preces & religionis officia paratior esset.

Item ante festum Paschatos aliquot dies vel septimanæ jejunio dicatæ, ut passio Christi eò majori animi attentione

con.



consideraretur & pro resurrectione gratiæ agerentur.

Potest item secundum exempla scripturæ in ecclesia commune aliquod jejunium à magistratu indici ut communes preces magis seriò fiant, Esd. i ix. Ion. iii. Joël. ii.

Quod preces attinet simili modo res sese habet. Sicut enim Servator Pharisaicas preces redarguit Matth. vi, 5. 23, 14. & ipsum tamen orare minimè damnat, ita quoque redarguere oportet Pontificias preces ne suspicio suboriatu quasi nullis precibus amplius opus sit.

Scilicet abusus redarguitur, quod vim & virtutem precum in multitudine ipsorum verborum constituent & plurima sine adtentione demurmurent: quod precibus efficaciam meriti & satisfactionis adscribant: quod eas non ad Deum solum sed ad Sanctos etiam dirigant, & spem exaudiendarum fundent non in solo merito Christi sed in meritis quoque Sanctorum. Contra docendum est, quod invocari debeat solus Deus & quidem in spiritu & veritate Joh. iv, 23. fiducia verò exauditionis fundetur super Christo Joh. xv, 23.

Apol.

De Votis  
Monast. S.  
Sed de genere etc.

Sentimus licita vota servari debere, sed utrum cultus illi mereantur remissionem peccatorum & justificationem:

Utrum sint satisfactiones pro peccatis:

Utrum sint pares baptismo:

Utrum sint observatio præceptorum & consiliorum:

Utrum sint perfectio Evangelica:

Utrum habeant merita supererogationis:

Utrum merita illa applicata aliis salvent eos:

Utrum sint licita vota his opinionibus facta:

Utrum licita vota, quæ prætextu religionis, tantum ventris & ocii causa, suscepta sunt:

Utrum verè sint vota quæ sunt extorta, aut invitis, aut his qui per ætatem nondum judicare poterant de genere vitæ, quos

quos parentes aut amici intruserunt in Monasteria, ut de publico alerentur sine patrimonii privati jactura:

Utrum licita sint vota quæ palam vergunt ad malum exitum, vel quia propter imbecillitatem non servantur, vel quia hi, qui sunt in illis sodalitiis, coguntur abusus Missarum, impios cultus Sanctorum, consilia serviendi in bonos viros, approbare & adjuvare. De his quæstionibus disputamus.

Neque æquamus conjugio virginitatem. Sicut enim donum dono præstat, Prophetia præstat eloquentiæ: Scientia rei militaris præstat agriculturæ: Eloquentia præstat architectonicæ: ita virginitas donum est præstantius conjugio. Et tamen sicut orator non est magis justus coram Deo propter eloquentiam quam Architectus propter Architectonicam: ita virgo non magis meretur justificationem virginitate, quam conjunx conjugalibus officiis, sed unusquisque in suo dono fideliter servire debet, ac sentire, quod propter Christum fide consequatur remissionem peccatorum & fide justus coram Deo reputetur.

Nec Christus aut Paulus laudant virginitatem ideo quod justificet, sed quia sit expeditior & minus distrahatur domesticis occupationibus in orando, docendo, serviendo. Ideo Paulus ait: *Virgo curat ea quæ sunt Domini.* Laudatur igitur virginitas propter meditationem & studium.

## CAPUT XVII.

## DE ECCLESIA.

**D**ocemus quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio Sanctorum, in qua Evangelium rectè docetur & rectè administrantur Sacramenta. Et ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum. Nec necesse

Aug. conf.  
Artic. VII.

E

est

est ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: *Una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium &c.*

Quaquam Ecclesia propriè sit congregatio Sanctorum, & verè credentium, tamen cum in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint: licet uti sacramentis, quæ per malos administrantur, juxta vocem Christi: *Sedent Scribæ & Pharisei in cathedra Moysi &c.* Et Sacramenta & verbum, propter ordinationem & mandatum Christi, sunt efficacia, etiam si per malos exhibeantur.

*Apolog. ad*

*Artic. XV.*

*S. Multas*

*& difficiles*

*&c.*

Traditiones veteres factas in Ecclesia, utilitatis & tranquillitatis causa libenter servamus.

Et tamen usum libertatis in his rebus, ita moderandum esse docemus, ne imperiti offendantur & propter abusum libertatis fiant iniquiores veræ doctrinæ Evangelij, neve sine probabili causa mutetur aliquid in usitatis ritibus, sed ut propter alendam concordiam serventur veteres mores, qui sine peccato aut sine magno incommodo servari possunt.

*Aug. Conf.*

*Artic. XV.*

De ritibus Ecclesiasticis docemus, quod ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt, & profunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa, & similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientia onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit. Admonentur etiam, quod traditiones humanae, institutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis, adversentur Evangelio & doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & diebus &c. institutæ ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis inutiles sunt & contra Evangelium.

Pon.

Pontifex contendit, primò, se jure divino primatem esse super reliquos omnes Episcopos & pastores universæ Catholicæ Ecclesiæ.

Secundò, se jure divino utrumque gladium possidere, ita ut regibus etiam regna conferre & adimere possit.

Tertiò docet, ad hæc credenda Christianos obligari sub poena amittendæ æternæ salutis: atque hæc sunt causæ, propter quas Pontifex se Christi in terris Vicarium gloriose nominat.

Hæc tres assertiones statuimus & docemus falsas, blasphemias, tyrannicas & Catholicæ Christi Ecclesiæ perniciosas esse.

Docemus potestatem clavium seu potestatem Episcoporum juxta Evangelium potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata & administrandi sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos. *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Marc. XVI. *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ &c.*

Hæc potestas tantum exercetur docendo seu prædicando verbum & porrigendo Sacramenta vel multis vel singulis.

Licet Episcopis seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ecclesia, non ut per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, ut judicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum violant. Sic Paulus ordinar, ut in congregatione mulieres velent capita, ut ordine audiantur in Ecclesia interpretes &c.

Tales ordinationes conyenit Ecclesiis propter caritatem

Art.

Schmalc.

libello de

Primatu

&amp; Potest.

Papa, ini-

tio.

Aug. conf.

Artic. ult.

tem & tranquillitatem servare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesiis. Verum ita, ne conscientiae onerentur, ut ducant res esse necessarias ad salutem, ac judicent, se peccare, cum violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit, peccare mulierem, quae in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum. Talis est observatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes & similibus feriarum & rituum.

*Apol. ad  
Artic. ult.*

Placet nobis vetus partitio potestatis, in potestatem ordinis & potestatem jurisdictionis. Habet igitur Episcopus potestatem ordinis, hoc est, ministerium verbi & Sacramentorum, habet & potestatem jurisdictionis, hoc est auctoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rursus absolvendi eos, si conversi petant absolutionem. Neque verò habent potestatem tyrannicam, hoc est sine certa lege; neque regiam, hoc est supra legem; sed habent certum mandatum, certum verbum Dei, quod docere, juxta quod exercere suam jurisdictionem debent.

*Apol. de  
Conjug.  
Sacerdot.  
§ Nos hanc  
legem &c.*

Legem de cælibatu Ministrorum Ecclesiae, quam defendunt Pontificii, ideo non possumus approbare, quia cum jure divino & naturali pugnat, & ab ipsis Canonibus Conciliorum dissentit; & constat superstitionem & periculosam esse. Parit enim infinita scandala, peccata, & corruptelam publicorum morum.

*Aug. conf.  
Artic. XVI.*

De rebus civilibus docemus, quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratus, exercere judicia, judicare res ex Imperatoriis & alijs præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum postulantis Magistratibus dare, ducere uxorem, nubere.

F I N I S.





COROLLARIA  
AD CAPUT PRIMUM

DE

NORMA RELIGIONIS ET  
REGULA FIDEI.

Non est primum principium cognoscendi Theologicum,  
*Quicquid S. Canonica Scriptura docet est infallibiliter verum, sed  
datur aliud eo prius. Quicquid Deus dicit id verum est.*

II. Autoritas Scripturæ sacræ autoritate Pontificis Ro-  
mani & prior & major est.

*Ita definitio de S. S. e  
externo et movere potest.*  
III. Qui Scripturæ autoritatem ab autoritate Pontificis  
*quod S. S. definitio  
obsignatio est  
non el inferior  
videre potest.*  
suspendunt & hanc ipsam nihilominus e Scripturis demonstrare  
fatagunt, circulum committunt, sive principium petunt; mini-  
mè verò qui Scripturæ autoritatem ab Ecclesiæ, & hujus vicissim  
ab illius autoritate probatum eunt, siquidem diversis respecti-  
bus autoritas utraq; sese mutuò confirmat. *vid. hist. Helvetiorum lib. 3. c. 10.*

*Id est tanta fide S. S. e  
asserunt ut malicia  
entis non qui  
qui in eadem in  
mitare. Testa  
sept. et Ruseb.*  
IV. Non potest dari alius Canon V. T. Christianorum,  
quam Judæorum, sed unum eundemque esse oportet: implicat  
enim contradictionem librum esse canonicum V. T. & tamen sub  
ipso illo V. T. nec canoni adscriptum nec canonicum habitum  
fuisse.

V. Veterem vulgatam incerti auctoris versionem, fontibus  
Hebræis Veteris & Græcis Novi Testamenti præferre, insana est.

VI. Universa doctrina fidei & morum ad salutem necessa-  
ria in S. Scripturâ ita continetur, ut vel disertè sit expressa, vel  
per bonam & firmam consequentiam inde deducatur. Inanes i-

a gitur

igitur eorum sunt conatus, qui aliquam ejus doctrinæ partem si-  
ve magnam five parvam, è sola traditione non scripta, deducere  
sustinent.

VII. Quando perspicuitatem Scripturæ asserimus, non as-  
serimus evidentiam rerum in eâ revelatarum, sed loquimur de  
claritate verborum quibus res revelatæ significantur.

VIII. S. Scriptura sui ipsius sufficiens est interpres, neque  
infallibilem controversiarum five interpretem five judicem divi-  
nitus constitutum esse probari potest.

### COROLLARIA

#### AD CAPUT SECUNDUM

DE

## FINE HOMINIS ABSOLUTE SUMMO ET ULTIMO.

Operatio conditionem potentiæ operantis sequitur; poten-  
tia verò naturam seu substantiam unde effluxit. Ex animæ  
igitur operationibus non tantum ejus facultates, sed ipsam quo-  
que ejus substantiam immateriatam, & propter subtractionem  
materiæ corruptibilem seu immortalem esse colligimus.

II. Novam & inseparabilem animarum quotquot è corpo-  
ribus emigrarunt, cum rediivivis illis unionem, supremo hujus  
seculi die reapse futuram, articulus fidei est, è solâ peculiaris  
modi revelatione innotescens.

III. Possibilitas resurrectionis ejusque convenientia non  
est articulus fidei.

IV. Hominem enim mortuum & in cineres resolutum,  
per potentiam divinam in cineres revocari non implicat con-  
tradictionem, neque ratione causarum internarum neque ratio-  
ne causarum externarum,

V. Ut

V. Ut illa ipsa & eadem corpora quæ per mortem ceciderunt, eadem numero redeant, in ipsissimâ & formali resurrectionis ratione includitur, adeò ut contradictionem implicet, carnis resurrectionem admittere, & carnis ejusdem numero restitutionem negare.

VI. Identitati compositi non obstabit nova unio, quod iteratò fiet, atque secunda vice anima corpori jungetur.

VII. Fore aliquando resurrectionem & æternam vitam è scriptis Mosis per legitimam consequentiam deducitur.

VIII. De Supremo Judicij die & horâ nemo scit ne angeli quidem cælorum, neque ipse Filius, sed solus Pater, Marc. XIII, 32.

IX. Signa terribilem hunc diem antecessura, eum non tam proximè imminere, quàm simpliciter adfore, portendant.

X. Signum filii hominis, quod in cælo appariturum scribit Matth. cap. XXIV, 30. non antecedit supremum judicij diem, sed in ipsum incidet, & tam demum ubi aderit conspicuum erit.

XI. Summa beatorum felicitas in visione Dei consistet.

XII. Potentiam videndi oculi corporei ultra nativam virtutem per potentiam Divinam, usque adeò elevatum iri, ut Deum ipsum percipiat, neque Scriptura insinuat, neque ratio suadet.

XIII. Vitam verè beatam nec tamen æternam esse, inter se pugnant; neque tamen omnis vita æterna est beata.

XIV. Damnatorum pœnæ aliæ erunt privativæ sive damni, aliæ positivæ sive sensus, & est inter utrumq; reale atque prope modum palpabile discrimen.

COROLLARIA  
AD CAPUT TERTIUM,  
DE DEO.

DEUM esse non credimus sed scimus.

II. Divinæ existentiae probatio, contra ejus negatores, è Scripturâ petenda non est.

III. Nulla quidem perfectio est in effectu quæ non prius fuerit in causâ; neque tamen omnes creaturarum perfectiones, earundem causæ efficienti, Deo creatori, formaliter insunt.

IV. Essentia Dei non potest demonstrari à priori, neque etiam à posteriori distinctè, quid & qualis sit, sed saltem quod sit.

V. Quidditas essentiae Divinæ, sive SS. Trinitatis mysterium, magis est sublime & à ratione remotum, quàm ut hominì sibi relicto citra peculiarem revelationem de eo quicquam in mentem venire possit.

VI. Quæ apud Platonem de *Verbo* leguntur, ad λόγον cuius Iohannes initio Evangelii sui meminit, non sunt applicanda; neque ejusdem de *Spiritu* sive animâ mundi sententia fidei veritati de Spiritu Sancto convenit.

VII. Perfectionis est generare sibi simile; & quò major adsimilatio, eò quoque perfectior generatio. Sed hæc perfectio in humanis altius adscendere nequit quàm ad adsimilationem naturæ ejusdem secundum speciem: in divinis pertingit ad identitatem naturæ ejusdem numero.

IIIX. Græcorum de processione Spiritus Sancti doctrinam, unanimis reliquarum totius orbis Christiani Ecclesiarum, dissensus, suspectam reddit, ut eam nunc, Scripturarum fundamentis carere raceamus.

IX. Personæ in Divinis inter se realiter actualiter, ab essentia realiter virtualiter differunt.

X. Non omnis invocatio sanctorum involvit idololatriam.

XLI.

XI. Licet quædam sanctorum compellationes non sint idololatricæ, sunt tamen inanes & supervacaneæ.

XII. Sancti quum memoriam rerum quam secum extulerunt non deposuerint, pro Ecclesiâ militante ejusque membris, (licet ut faciant non compellentur) apud Deum in genere intercedere non desinent.

XIII. Vox idololatriæ, adeo latè patet, ut, si improprie & metaphoricè sumatur, nemo Christianorum ab idololatriæ crimine liberari possit.

XIV. In propriâ tamen & strictissimâ significatione sumto vocabulo, neque Iudæus neque Muhammedanus idololatra est.

XV. *Idololatria antichristiana* cujus per sanctos jurantes in hoc capite Corporis Doctrinæ rei aguntur, non cadet in omnes qui qualitercunque Antichristo *in templo Dei* (Ecclesiâ) *sedenti* (regnanti) subsunt, sed qui ita ei subsunt ut AntiChristianam ejus doctrinam probent & sequantur. Aliud enim est sub Antichristo esse, aliud, non tantum sub ipso esse sed & ejus imperio, in quantum est AntiChristianum imperium, parere.

XVI. Quemadmodum aliquis in propriâ uxore potest committere adulterium, ita etiam idololatriam, quæ in Scripturis spirituale adulterium habetur & vocatur, licet adorationis cultusque terminus sive objectum sit verus Deus.

XVII. Quidam, etsi rei creatæ, quæ non est Deus, cultum soli Deo debitum conferant, formaliter tamen non sunt idololatricæ: æstimatur enim idololatria potissimum ex intentione.

*thesu hinc de phote  
intelligenda 7 neq  
de. idem xij. cu  
stomus cultu offic*

COROLLARIA  
AD CAPUT QUARTUM,  
DE PECCATO.

ETiamsi Deus hominem neque ante neque post lapsum in statu merè naturali reliquerit, sed ad imaginem ejus conditum do-



nis supernaturalibus ornaverit, & post lapsum naturalia peccati tenebris momento fœdata fuerint, nihilominus tamen quæ naturalia, quæ supernaturalia in homine sint distinctioris cognitionis ergo, particulatim rectè proponuntur, & merè naturalium status, à supernaturali mente separatus, bene seorsim consideratur.

II. Imago Dei ad quam homo conditus est, in intellectus, voluntatis & appetitus perfectione conspicua fuit. Quanto enim major facultatum per quas homo operatur est perfectio, tanto etiam ipse majore gaudet beatitudine, & tanto felicioris est conditionis.

III. Ad rationem imaginis duo requiruntur; primò ut sit similitudo, deinde ut sit expressa ex alio, sive ad imitationem alterius effigiata. Quare non omnis similitudo aut simile est imago alterius:

IV. Status hominis post lapsum corruptionis & peccati, statui ejus ante lapsum, sive intellectum, sive voluntatem, sive appetitum spectes, planè contrarius & è diametro oppositus est.

V. Naturalia post lapsum manserunt integra, si ipsas naturæ facultates intelligas, minimè vero si earundem facultatum vires respicias.

VI. Si *τὸ naturale* aliquantò latius accipias, nihil impedit quò minus imaginem Dei naturalem dicas; quamvis propriè loquendo non naturalis sed supernaturalis fuerit.

VII. Nihil, secundum Aristotelis doctrinam, vituperabile est, quod extra ejus qui vituperatur potestatem, neque peccati appellatio rei connata, quæ à nativitate inest, convenit. Defectum igitur aliquem in essendo rationem peccati habere, sola revelatio docet.

IX. Peccatum Originis non accidens sed ipsam hominis substantiam, neque privativum sed formaliter aliquid positivum esse, Manichæorum & quorundam aliorum cum Illyrico delirantium, somnia sunt.

IX. In

IX. In baptismo tollitur reatus peccati ne imputetur ad mortem; infringitur quoque & reprimatur vis concupiscentiæ, ut in posterum Spiritui sive inclinationibus novis à Spiritu Sancto ad omne bonum opus accensis subiiciatur; non tamen prorsus eradicatur, sed remanet actu, imminuta secundum gradus, quam alii fomitem peccati, alii languorem naturæ, & fontem tentationum appellant.

---

COROLLARIA

AD CAPUT QUINTUM,

DE VIRIBVS HUMANIS.

DOctrina de *Libero Arbitrio* è Philosophiâ, Theologiæ ministrâ, accersenda est. Quidnam enim sit arbitrii libertas, cui subiecto insit, & circa quæ objecta libertatem exerceat, è Philosophicis principiis deducit Theologus.

II. Propriam igitur libertatis sedem non quidem in intellectu sed voluntate esse existimamus.

III. Quia verò voluntas nullam optionem facere, nec quicquam vel eligere vel reiicere potest, nisi ab intellectu prius cognitum & sibi veluti oblatum, hinc libertatis radix in intellectu, qui formaliter aliàs liber non est, rectè esse dicitur.

IV. Quicquid igitur non habet rationem intelligibilis, non poterit quoque habere rationem appetibilis.

V. Quia verò res spirituales non habent rationem intelligibilis, i. e. intellectus sibi relictus, & ultra naturalem potentiam non elevatus, eas assequi & penetrare nequit, inde porro sequitur, liberi arbitrii vires circa talia objecta planè esse nullas.

VI. Per lapsum itaque usque adeò debilitata, fracta & corrupta humana natura, naturalem quandam impotentiam & repugnantiam erga actiones spirituales gignit.

VII. Naturalis illa repugnantia per gratiam prævenientem, verbo additam, corrigitur.

IIIX.

IX. Cessante naturali repugnantia gratia Divina, meditationi verbi conjuncta, augmenta capit.

IX. Hæc gratia Divina sicut ad actiones spirituales exercendas facultatem sufficientem adfert, ita necessitatem nemini imponit, sed patitur sibi resisti.

X. Postquam voluntas per gratiam Dei prævenientem & operantem novis viribus instructa & præparata est à Domino, non amplius merè passive sese habet, sed cooperatur gratiæ, sive agit & ipsa in virtute gratiæ.

XI. Quare observandum in regenerationis sive conversionis negotio pro diversitate temporum diversimode sese habere intellectum & voluntatem. Ante regenerationem enim, in ordine ad res spirituales, habet sese negativè; in ipsâ infusione gratiæ habet sese merè passivè; post receptam gratiam activè; cooperatur scilicet voluntas, non quidem per proprias vires, sed in virtute gratiæ divinitus collatæ.

### COROLLARIA

#### AD CAPUT SEXTUM,

## DE CHRISTO.

**R**ealem Christi ad inferos descensum è Scriptura haud facile quisquam probaverit.

II. In antiquioribus Symboli Apostolici editionibus ubi legitur *sepultus est*, ibi omittitur *descendit ad inferos*, & vice versâ *in Expos. Symb.* ubi legitur posterius, prius omittitur: quum enim teste Rufino, *vis verbi eadem sit, i. e. verbum infernus idem significet quod sepulchrum*, perinde est utrum ponatur, dummodo alterutrum omitatur.

III. Quod autem vulgare Symbolum, passim hodie receptum, utrumque, & *sepulturam* & *descensum*, exprimit, tautologia & superflua antecedentis repetitio est, facta ab Hebraïsmorum

*4. Punt. sententia de descensu Xpi ad inferos; alii revera Xpm ad locum damnatorum descendisse impet-  
et ibid. ad damnatos conciosam salvasse existimant, alii de inferni coloribus exponunt. Sicut Xpi ab inferis  
passivus fuit fuerit immersus unde veluti desperandum clamaverit: Deus meus quare me dereliquisti?  
alii de limbo patris accipiunt, in quo S. Patres sub V. T. sederunt, æternam beatitudinis expertos  
descensu suo ex eo liberasse. alii de regno descendisse Xpi in sepulturam intelligunt, et sic cum  
fide in Symbolo coincidere cum v. diffinita est de quibus certi determinare præstat ipse Xpi desce-  
sus est equi qui descendit Xpi de cælo sepultura intelligunt.*



imperitis, qui è diversis symboli exemplis utramque phrasin exscripsisse, & doctrinæ, de Christi vero & reali ad inferos descensu, fundamenta jecisse videntur.

IV. In Athanasiano Symbolo res magis est liquida, siquidem præteritâ disertâ sepulturæ mentione, tantum *ad inferos descendisse* i. e. sepultus esse dicitur.

V. Deus ad hypostasim Divinæ naturæ assumens humanam, nullam ulteriorem perfectionem recepit, neque mutatus est. Licet enim integra actualis essentia, & substantialis existentia humanæ naturæ, ante unionem formaliter in Deo non fuerit, fuit tamen eminenter. Nec assumpsit Divinitas humanitatem per potentiam passivam, sed alio modo, nobis incognito & ineffabili.

VI. Humanæ Christi naturæ nihil deest, nisi ultimus modus substantialis, existendi per se, in quo consistit formalis ratio personalitatis.

VII. Licet igitur propriâ subsistentiâ destituta, suppositum, quod in naturâ rationali persona appellatur, non sit, naturam substantialem singularem tamen esse, vix quisquam inficias ire poterit.

VIII. Nisi lumen divinæ revelationis nobis illuxisset & manifestasset unum esse Dominum nostrum Iesum Christum, eumque, 1 Cor. 8, 6. quod carnem attinet ex patribus. & simul Deum benedictum in secula: Rom. 9, 5. nemini unquam in mentem venisset subsistentiam à naturâ sive essentiâ substantiali singulari differre, & proinde separari posse.

### COROLLARIA

#### AD CAPUT SEPTIMUM,

## DE LEGE ET EVANGELIO.

**S**cripturæ distinctio in Legem & Evangelium generalissima est, à præcipuis ejus duobus capitibus desumpta. Sciendum autem

b

autem

autem vocē Legis aliquando latissimè capi pro totâ Scripturâ Ve-  
teris Testamenti. Strictissimè verò pro doctrinâ Divinâ quæ do-  
cet, qualem hominem in suâ naturâ cogitationibus, verbis, factis,  
ut Deo probari & acceptus esse possit, esse oporteat; transgresso-  
ribus, Dei iram & æterna supplicia simul denuncias.

II. Eodem ferè modo Evangelium apud scriptores Eccle-  
siasticos sumi solet pro totâ Scripturâ Novi Testamenti. Paulò  
pressius pro totâ doctrina Christi & Apostolorum, promissis &  
præceptis constante. Strictissimè autem & accuratissimè loquen-  
do, Evangelium est promissio gratiæ & remissionis peccatorum  
propter Christum, cui à nostrâ parte respondet Fides.

III. Tàm Lex igitur quam Evangelium in utroque Testa-  
mento locum habet. In Novo tamen Evangelium clarius & fre-  
quentius est expositum.

IV. Fundamentum hujus in Legem & Evangelium distin-  
ctionis sunt diversa Pacta quæ Deus cum hominibus iniit, quo-  
rum unum à conditione ab homine tunc temporis requisita,  
Legale, alterum, Evangelicum dicitur.

V. Eò scilicet usque sese demittit Deus & ad hominem ac-  
commodat, atque ita se gerit quasi cum eo pactum vel fœdus in-  
eat, & hoc vocabulo suas cum hominibus actiones sæpissimè de-  
signat.

VI. Verùm quum Pacta Dei cum hominibus, non sint in-  
star pactorum & fœderum qualia homines inter se ineunt, sed  
potius rationem atque vim statuti, legis, mandati aut promissio-  
nis habeant, uno verbo, nihil sint aliud quàm voluntatis Divinæ  
de salute hominum declaratio, hinc etiam Testamenta haud in-  
convenienter dicuntur.

VII. Testamentum enim voluntatis declarationem signi-  
ficat, & usitatè quidem ultimæ voluntatis.

IIIX. Quam usitatam vocis acceptionem Testamentis hi-  
sce ideò non malè convenire arbitramur, quia facta in iis homini-  
bus

bus Divinae voluntatis declaratio immutabilis est, & si immutabilis, etiam ultima. Aliam enim, huic, quæ in utroque Testamento consignata, contrariam, neque expectandam neque admittendam, docet Paulus ad Galatas scribens, *Etiam si Angelus è cælo evangelizet vobis, præter id quod evangelizavimus, anathema esto,* cap. 1, 8.

IX. Legale Pactum diutius non duravit, quàm quo usque primi parentes in statu integritatis & innocentia permanserunt. Evangelium statim ab eorundem lapsu incepit.

X. Pactum Evangelicum quamdiu Christum promittit & in venturum fidem collocare jubet Vetus dicitur: Novum est, quod exhibitum proponit & præsentem sistit.

XI. Discrimen ergò quod hic deprehendimus, ab accidentali tantùm respectu est, qui effectum non tollit, sed modus obtinendæ salutis secundum se & ex naturâ, rei in utroque Pacto planè unus idemque est.

---

COROLLARIA  
AD CAPUT OCTAVUM,

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

Sacramenti vocem non tantùm seculares Romanae eloquentiæ scriptores, rebus, toto cælo ab iis quæ Christiani isthoc nomine vocant, diversis significandis adhibent, sed tanta etiam apud Ecclesiasticos scriptores ejus est latitudo, ut pro latiore vel strictiore significatione Sacramenta vel plura numerari possint vel pauciora.

II. Certum tamen numerum sub anathemate definire, aliisque eundem approbandi, & quod nec plura nec pauciora sint, credendi necessitatem imponere tyrannis est.

III. Sacramentorum vim & efficaciam nimis enervant, qui

ea tantum esse volunt, vel notas Christianorum, vel allegoricas  
commonestiones, vel signa & symbola gratiam spiritualem si-  
gnificantia quidem, non tamen id quod significant conferentia  
& efficaciter obfignantia.

IV. Quamquam verò per Sacramenta offeratur gratia spi-  
ritualis, justificans cum primis, non tamen quicumque Sacramen-  
tis utuntur, ejus participes fiunt, sed illi tantum, qui fidem, ad ob-  
latam recipendam aptam natam, afferunt.

V. Quemadmodum igitur manus & thesaurus ad invicem  
se habent, ita etiam fides, & gratia Dei in Christo per Sacra-  
menta oblata. Fides est quasi manus nostra, quam quærimus &  
accipimus; Verbum & Sacramenta sunt quasi manus Dei, qui-  
bus is offert & confert, quod fide à nobis petitur & accipitur.

VI. Quare manifestum, infantes qui per Baptismum rege-  
nerantur, non esse sine fide, licet nos modum quo in iis fidem o-  
peratur Spiritus sanctus, non penetremus.

VII. Quoniam autem tanto perfectius quid ab intellectu  
percipitur, quanto melius sensui exhibetur, Deus opt. max. pro  
immensa sua erga genus humanum benignitate, gemino sensum  
adminiculo uti, & spiritualem gratiam, quam aliàs Verbum au-  
ribus tantum offert, externis etiam visibilibus signis, qualia Sa-  
cramenta sunt, oculis subiicere voluit.

IIIX. Quod verò Verbum id aliquanto obscurius & mi-  
nus efficaciter præstat, illud non defectui ejus, sed imbecillitati  
humanae imputandum.

IX. Debetur tamen Verbo præ Sacramentis hæc præro-  
gativa, quod videlicet ejus capaces absque eo salvari nequeant,  
quum tamen, qui per casus humanae industriæ inevitabiles à Sa-  
cramentorum usu, licet eorum sint capaces, excluduntur, con-  
demnari nequeant.

COROL.

COROLLARIA  
AD CAPUT NONUM,  
DE BAPTISMO.

**B**aptismus legitimus est, & iterari non debet, in quo essentialia, in esse actionis sacrae eum constituentia adhibentur.

II. Ritus igitur, quantumvis antiqui, quum ad essentialiam non spectent, baptismo quoad substantiam variando non sufficiunt; quare siue adhibeantur siue omittantur, baptismus nihilominus erit legitimus.

III. Quum verò ceremoniarum antiquitas non possit præscribere temporibus nostris, ejusmodi ritus vel abrogandi, si abusus requirat, vel si exigat usus, instituendi, non minus hodie quam olim, Ecclesia habet potestatem.

IV. Causa efficiens instrumentalis, quum de Sacramenti hujus essentiali non sit, administratio ejus ad certas eximiasque personas non restringitur, sed licet Ecclesiae ministris ordinariè committatur, in casu tamen necessitatis non tantum à merè laicis, sed etiam à mulieribus ritè peragi potest.

V. Dantur scilicet casus repentinæ necessitatis, & ubi salus animæ agitur, in quibus propter urgentem necessitatem postponere licet legem Divinam merè positivam, de Baptismo per Ecclesiae ministrum administrando. Quomodo Sabbathi observatio, lege Divina positiva imposita, erat postponenda defensionis vitæ per vim & arma, 1 Maccab. 11, 36 & seqq.

VI. Neque etiam administrantis requiritur intentio quæ respiciat effectum spirituales, sed tantum intentio externum illum sacrum ritum peragendi. Et hanc intentionem, licet vel maxime velit, non tamen potest subtrahere conferens.

VII. Christus igitur, ut Sacramenti virtutem & efficaciam non ex ministri qualitate æstimandam, sed ejus auctori acceptam ferendam ostenderet, ipse à Baptismi administratione abstinuisse videtur.

IIX. De infantum extra Ecclesiam, in peccato Originali sine baptismo exspirantium, pœnis, diversæ Doctorum sunt sententiæ. Sed dissentientibus Græcis à Latinis, hisce à se invicem, totum hoc incomprehensibili Divinæ benignitati & misericordiæ committendum existimamus.

IX. Infantes qui in utero matris extinguuntur, ad suscipiendum Baptismum haud videntur esse obligati; est enim Baptismus *regeneratio* sive secunda generatio, quæ præsupponit generationem primam carnalem.

X. Baptismus Johannis quandoquidem cum Baptismo Christi & Apostolorum in causa efficiente principali, formali, materiali & finali convenit, hinc specie eundem cum illorum Baptismo esse judicamus: quorumcunque enim eadem est causa efficiens principalis, eadem forma, eadem materia, iidem effectus illa specie non differunt.

---

COROLLARIA

AD CAPUT DECIMUM,

DE S. EUCHARISTIA.

Sacramentum Eucharistiæ ab institutione Christi usque adeò totum pendet ut ei soli omne esse suum debeat, atque per eam in esse actionis religiosæ, mysticæ & sacrosanctæ constituatur.

II. Tota igitur ex institutione æstimetur neque profanè quicquam addatur, neque sacrilegè aliquid detrahatur, sed ad instituentis imitationem, quod quidem essentialia ejus attinet, ritè cuncta peragantur.

III. Ritus & ceremoniæ externæ, liberæ & indifferentes, actionumque circumstantiæ, quum de sacramenti hujus essentiâ sint, eas vel mutandi, vel penitus abrogandi, si inutiles & supervacaneæ, vel novas, si expedire videantur, instituendi Ecclesia potestatem habet.

IV. In-

IV. Interdictio solenniter ab alio institutæ actionis, potestatem instituentis majorem quam postulet atque substernat, Romanos Pontifices Divinâ eminentiorem sibi arrogare, haud diffitebuntur qui eos ab ipso Deo solenniter institutam actionem interdicere, quotidianâ praxi edocti, intelligunt.

V. Oleum & operam perdidērunt Pontificii quando communioni sub unâ specie, vel è concomitantia, vel è fractione panis, cujus apud Lucam & in Actis mentio fit, vel ex abstinentiæ voto, vel è laicâ, peregrinâ aut præsanctificatorum communionem, vel effusionis periculo, vel vini penuriâ, vel denique ex Ecclesiæ Orientalis praxi & exemplo, probandæ allaborarunt.

VI. Christus quando porrecto pane & vino dixit, *Hoc est corpus meum; Hoc est sanguis meus*; non est existimandus, dicendo aliud significare voluisse, quàm quod sciret homines auditis ejusmodi dictis naturaliter concepturos esse, nimirum hoc quod cum pane porrigeret esse corpus suum &c.

VII. Literalis verborum institutionis sensus, neque cum morum honestate, neque cum fidei veritate pugnat, licet aliquid incompertum & inauditum, atque ab eâ ratione, quam in rebus terrestribus nobisque familiaribus observavimus, alienum involvat.

VIII. Non implicat contradictionem unum idemque numero corpus, per omnipotentiam Dei simul & semel in locis & spatiis esse innumerabilibus.

IX. Neque sequitur per potentiam Divinam multiplicata alicujus corporis præsentia, sive, respectu ad ubi ipsum quoque corpus secundum substantiam mutari, aut multiplicari.

COROL.

COROLLARIA  
AD CAPUT UNDECIMUM;  
DE MISSA.

TRANSUBSTANTIATIONIS vox recens est, post medium seculi duodecimi circiter nata, & importat unius substantiæ, quæ substantialiter esse desinat mutationem sive conversionem in aliam quæ substantialiter esse incipiat.

II. *Conversio Adductiva*, quam recentiores Pontificii ad horridam Scholasticorum, de Transubstantiatione doctrinam quodammodo emolliendam commenti sunt, non tam est substantialis mutatio, quàm substantiæ unius annihilatio conjunctam habens successionem alterius.

III. Mos veterum, panis consecrati post peractam communionem, reliquias in ignem conjiciendi & comburendi, à suspicione creditæ Transubstantiationis eos liberat.

IV. Quidam sit, quod sacrificii nomine venit & appellari consuevit, è Scripturâ Veteris Testamenti, in quâ eorum institutio consignata exstat, hauriendum est.

V. Vocabulum quo utitur Scriptura זֶבֶחַ est, & quando propriè accipitur, vel animal quoddam quod mactatur & occiditur, vel ipsam mactationem & occisionem semper significat.

VI. Res inanimatæ quæ offerebantur, & Holocaustis, Propitiatoriis atque Pacificis sacrificiis jungentur, non Sacrificii sed Minhæ & Libaminis nomine veniebant, erantque propriè dictorum sacrificiorum veluti appendices.

VII. In Missâ Pontificiâ ut nulla est viventis mactatio sive occisio, ita nullum etiam est Sacrificium propriè dictum, tale, quale adesse volunt Pontificij.

IX. A verbis igitur quæ Sacrificium ab omni latiore significatione ad talem quæ essentialia sacrificij includat restringunt, si abstinuissent Tridentini facile elabi potuissent, neque nos haberent multum contradicentes.

IX.



IX. Christus dicitur *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, non quod panem & vinum, in Sacrae Coenae institutione obtulerit, sed quod sit sacerdos aeternus, non mortalis sicut Levitae, in ea scilicet parte similitudinis ratio consistit.

COROLLARIA  
AD CAPUT DUODECIMUM,  
DE  
CONFESSIONE ET ABSOLUTIONE.

I. Confessio quae coram Deo fit paenitentiae sive contritionis pars est, quae coram Ecclesia Verbiq; ministris, ad modum fructus & effectus paenitentiae sese habet.

II. Solus Deus & Servator noster Christus Jesus utpote autor gratiae, remittit peccata, impertiendo ipsam remissionis gratiam, reliqui vero remittunt ut ministri, annunciando illam, quam nobis Christus fecit gratiam, & generales Divinas promissiones certis individuis, secundum Dei praescriptum sese gerentibus, applicando.

III. Factum est remissionem Sacerdotis ordine naturae praecedere remissionem in caelo factam.

IV. Neque Sacerdotes fidelium iudices constituti sunt, neque Absolutio actus judicialis est, sed ejusdem potius promulgatio quaedam.

V. Solvere & ligare totus & adaequatus effectus clavium est; nam per claves ipsa autoritas & officium illud exercendi, a Servatore declaratur.

VI. Confessio oris Sacerdoti facienda, non est confundenda cum enumeratione omnium peccatorum cum suis circumstantiis, hac enim rejecta istam retinemus, licet juris Divini esse non admittamus.

VII. In primitiva Ecclesia admodum frequentes & satis quidem severae erant satisfactiones Canonicae, nihil tamen faciunt

ciunt ad probandum Pontificiorum, de satisfactione operis, commentum.

IIIX. Olim per satisfactiones non Deo, sed Ecclesiae, cui scandalum illatum, satisfiebat: hodie ipsi Deo satisfieri docent, qui remissa culpâ poenas temporales exigat, pro quibus opera poenalia à Sacerdotibus injungantur.

IX. Olim notorii peccatores non nisi satisfactionibus peractis absolvebantur & ad communionem denuo admittebantur: hodie absolutio & communicatio præcedit, satisfactiones sequuntur.

X. Olim notoriè flagitiosus non nisi semel conciliabatur & restituebatur, haud iterum si ad vomitum redisset aut crimen iterasset: hodie, toties quoties.

XI. Quantum tribuitur satisfactionibus humanis ad forum Divinum relatis, tantum detrahitur satisfactioni Christi.

## COROLLARIA

### AD CAPUT DECIMUMTERTIUM,

## DE JUSTIFICATIONE.

I. Licet circa Iustificationis doctrinam, si verbis communibus usque quotidiano receptis & à quovis intelligi aptis proponatur, inter nos & Pontificios non adeò magnus fortè sit dissensus, malè tamen inter utrosque convenit, si cœleste hoc dogma per terminos disciplinarum & scholæ (quos adhibere & applicare non est nisi eruditorum) efferatur.

II. Quod alii causam formalem Iustificationis in inhærente iustitiâ, alii in imputatione iustitiæ Christi, & non imputatione sive remissione iniustitiæ propriæ consistere contendunt, è diversa vocis acceptione omninò est enatum.

III. Qui enim etymologiam latinæ vocis attendentes

*Iusti-*

*Iustificare* idem esse credunt quod *justum facere* *justitiæ* habitum infundendo, causam ejus formalem in inhærente *justitiâ* consistere non malè inferunt.

IV. Qui autem *Justificationis* vocem è *linguæ sanctæ* idiotismo (quem redolet) æstimant; qui verbum forense esse, nihilque aliud significare intelligunt, quam in *judicio* *justum* censere & pronunciare; qui cum *Scripturâ* loqui, & æquipolentes in utroque *Testamento* obvias enunciationes inter se conferre amant, formalem ejus rationem non in infusione habitus *justitiæ*, sed in non imputatione, condonatione & remissione peccatorum sitam esse facile animadvertunt.

V. Neque verò tam de eo quæstio est, per quid *formaliter* sumus *justi*? sed, per & propter quid coram rigido *judicio Dei* habeamur *justi*? Ubi posterius extrinsecum quid nobis esse potest, quum aliquis propter *justitiâ* alienam, quæ sit extra illû cui imputatur, possit haberi & censi *justus* atq; à *pœnâ* immunis.

VI. Qui duplicem faciunt *Justificationem* primam scilicet & secundam, res planè diversas, *Justificationem* & *Sanctificationem*, quas ipsa *Scriptura* segregavit, commiscent.

VII. *Iustificatio* enim est aliquid homini extrinsecum, extrinsecè ad eum terminatum, adeoque actio immanens in *Deo* *justificante*, quæ nullam intrinsecam objecti importat mutationem. *Sanctificatio* verò est actio transiens, intrinsecam aliquam objecti mutationem efficiens.

VIII. *Justificatio* est actio transitoria & momentanea, quæ in instanti fit & tota simul est. *Sanctificatio* est actio quasi in fluxu & continuatione posita, & habet sua paulatim incrementa, suos gradus.

IX. *Justificationis* gratia reatum peccati tollit: *Sanctificationis* gratia residuam ad peccandum proclivitatem reprimit atque infringit. Illa *Deum* peccatoribus reconciliat; hæc ipsam *justitiâ* in hac vitâ intrinsecus inchoat, & de die in diem auget, in altera demum consummandam.

COROLLARIA  
AD CAP. DECIMUM QUARTUM,  
DE PŒNITENTIA.

I. Magna est cognatio Iustificationis & Pœnitentiæ; quod enim à parte nostrâ est à quo homo iustificatus esse dicitur, e-iusdem respectu conversus idem quoque dicitur.

II. Diverſæ tamen sunt considerationes: nam Iustificatio consideratur pro ut ordinem habet ad Deum iustificantem, & spectatur ibi non tantum quod Deus acceptat à parte nostrâ, nempe Fides, sed totum id quod nobis pro iustitiâ est in conspectu Dei, omnesque iustificationis nostræ causæ.

III. Pœnitentia sive Conversio potissimum consideratur quo ad actus qui à converso proficiuntur, & in conversione requiruntur, non tantum eam ingredienti & constituentem, sed etiam concomitantes & consequentes, pro ut ordinem aliquem habent ad Ministerium Evangelii, & absolutionem denunciandam converso.

IV. Quum homo in peccatis mortuus ad omne bonum opus ineptus sit, propriæ rectitudinis & bonitatis virtute è peccatis resurgere & pœnitentiam agere nequit, sed operatur eam // Sp. S. unde *donum Dei* dicitur Act. v, 31. & xi, 18.

V. Operatur autem Sp. S. non immediatè sed per certa media & instrumenta, Verbum videlicet & Ministros, qui Legem & Evangelium annunciant.

VI. In pœnitentiæ scilicet negotio & Lex & Evangelium, suum sibi locum vindicat, suamque operationem & efficaciam exserit. Per Legis quidem doctrinam oritur agnitio peccati Rom. III, 20. Legis vero illius usus quum triplex sit, primus & secundus ad convertendos, tertius ad conversos pertinet. Evangelium autem Dei gratuitum miserendi propositum ob oculos, atque inter ejus iram & peccata nostra, Christi meri-

meritum ponens, contritos corde & spiritu erigit & consolatur.

VII. Habet verò utraque & Lex & Evangelium, sese ad modum causæ efficientis instrumentalis à parte Dei, cum quâ Deus concurrit, eamque ad Produendum effectum elevat. Addit nempe concioni tam Legis, quàm Evangelij, *spiritum & virtutem*, sicut in Litaniâ rogamus, ut *spiritum suum & virtutem Deus verbo addere velit.* Quopacto *lex prædicata conterit petras* Jerem. xxiii, 19. hoc est, *percellit obdurata hætenus corda,* Evangelium verò *ceu mite oleum, sanat iterum contritos corde* Luc. iv, 18.

COROLLARIA  
AD CAP. DECIMUM QUINTUM,  
DE BONIS OPERIBUS.

I. Non omne necessarium ad aliquid, importat rationem causandi per se.

II. Homini credenti & per fidem justificato, necessarium deinceps est, ut à peccatis contra conscientiam committendis abstineat, atque hoc ipso legi Divinæ peccata prohibenti morem gerat, ita enim cavet ne statu gratiæ excidat, quem, perseverante in Christum fide aliàs retinet.

III. Fundamentum necessitatis bonorum operum in salvandis, est partim voluntas Dei studium sanctitatis in credente requirentis, partim inseparabilis & necessaria operum ad fidem consecutio, quam ostendit B. Parens in Epitome loco de Bonis operibus, sub initium.

IV. Quæ ergo inseparabiliter & necessariò cohærent ita sese habent ut ubi necessarium est unum, ibi quoque necessarium sit alterum, quamvis si effectum ipsum respicias, non semper pari necessitatis gradu, sed unum propter necessitatē efficientiæ, alterum propter necessitatem cohærentiæ vel compræsentia; sive unum ut vera causa, alterum ut causa sine quâ non.

V. Ista tamen necessaria operum cum fide cohærentia fidem & opera in unam massam non conflant, nec efficit ut obædientia vel observatio mandatorū Dei sit vel de essentiâ, vel ipsâ formâ fidei justificantis; *ita ut credere nihil aliud sit, quam sub spe vitæ æternæ Deo obedire*, quemadmodum ineptè docent Sociniani.

VI. Si contingat, ut aliquis tum demum quando è vivis excedit, per fidem in Christum justificetur, in eo propositum melioris vitæ & benè agendi, si Deus vitam prorogare vellet, sufficit. Cui verò post adeptam justificationem tempus vivendi reapse indulgetur, cum non tantùm in proposito benè agendi sistere, sed ad exercitium ipsum vitandi malum, & faciendi bonum, ubi occasio est, progredi necessum est. Quod si intermittat, statum gratiæ per fidem adeptum, rursus deperdit.

VII. Quandoquidem inter Theologos ita convenit, ut propter ambiguitatem non usurpetur illa locutio *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, nos quoq; non inviti ab illa abstinemus. Neminem tamen pium fore confidimus, qui hac aut simili loquendi forma nos uti sit prohibiturus: Christiano adulto, cui post conversionem suam tempus vivendi Deus concedit, ne statum gratiæ, fidem & spiritum S. & ipsam tandem promissam salutem amittat, necessarium prorsus est operam dare mandatis divinis, abstinere à flagitiis, & studere pietati, sive declinare à malo, & facere quod bonum est.

---

### COROLLARIA

AD CAPUT DECIMUMSEXTUM,

## DE JEIUNIIS ET PRECIBUS.

I. Vacare jejniis ad rationem cultus Divini non nisi instrumentaliter pertinet.

II. Commendantur igitur jejunia propter preces ad quas fundenda: *ieiunus & sobrius aptior est quam benè pransus aut temulentus.*

III. Vis virtusque precum, ut scilicet habeant vim cum exorandi

di offensumque reconciliandi non ex opere operato sed ex fide orantis  
æstimanda est.

IV. Invocationes Sanctorum sunt quidem omnes supervacaneæ,  
non tamen omnes idololatricæ sed quædam magis quædam minus exor-  
bitant.

V. Invocationes Sanctorum in Missis adhiberi solitæ, non tam  
sunt Sanctorum quam ipsius Dei compellationes, siquidem non Sancti,  
sed Deus imploratur ut propter illorum intercessionem velit misereri.

VI. Preces quæ postulant ut Deus Sanctorum merita invocanti-  
bus applicare, & vi istorum meritorum exaudire & peccata remittere  
velit, licet non ad Sanctos sed ad Deum dirigantur, blasphemæ tamen  
& intolerabiles sunt, quia unico merito Christi jungunt alienum, & ita  
ejus dignitati detrahunt.

VII. Invocantur denique ipsi Sancti vel tanquam intercessores &  
advocati in foro Divino, vel tanquam datores & largitores bonorum  
spiritualium & cælestium. Prior invocatio non quidem impia, sed sine  
fructu & supervacanea est; posterior autem planè abominabilis & ido-  
lolatrica.

VIII. Vota circa res licitas & possibiles, quamvis Deus probe-  
& ab iis qui nuncuparunt exigat, nullibi tamen in Scripturâ leguntur  
præcepta, neque ad legem ceremonialem pertinent, sed sunt ea actus me-  
re spontanei, & ab arbitrio hominum profecti, ad quos præstandos nemo  
aliàs ex præcepto tenetur.

IX. Qui neque deliberare neque sibi consulere possunt illi &  
vovete non possunt, ut pueri & quicumque ad annos discretionis plenum-  
que usum rationis nondum pervenerunt.

X. Neque tamen sufficit aliquem ratione jam, quod sat sit uti,  
& sibi prospicere posse, sed ut votum sit ratum & firmum, oportet eun-  
dem, sui quoque esse juris. Alienæ igitur potestati subjecti, quales sunt  
servi, uxores, liberi & id genus alii, vota valida per sese facere non pos-  
sunt, Numer. xi, 30.

XI. Nulla res consideratis omnibus circumstantiis, simpliciter  
indifferens, neque bona neque mala moraliter, Deo placere aut displi-  
cere, multo minus voveri rectè potest.

COROL-

13  
COROLLARIA  
AD CAPUT DECIMUM SEPTIMUM,  
DE ECCLESIA.

I. Neque Antiquitas neque Duratio, veræ Ecclesiæ nota est, quia utraque à verâ Ecclesiâ separari potest, & à quibusdam actu aliquando seperata, & sublata fuit.

II. Nostra Ecclesia Pontificiâ longe est antiquior, extitit scilicet seculis à nobis remorissim's, non quidem ratione personarum, vel do-  
centium, vel discentium, sed ratione fidei, quam profitemur.

III. Non novam quandam fidei doctrinam in Ecclesiæ theatrum introduxit B. Lutherus noster, sed antiquam, Catholicam & Apostolicam, à novitatibus, erroribus, corruptelis & superstitionibus Pontificiis repurgavit.

IV. Ecclesia licet erroribus & superstitionibus aliquibus sit infecta, non ramen magis statim desinit esse Ecclesia, quàm homo leprosus leprâ infectus, desinit esse homo.

V. Externum Ecclesiæ regimen, ut sensibilibus & ab hominibus visibilibus obitur, rectiùs pluribus quam uni statuitur competere. Quare etiam propiùs ad Aristocratiam quàm Monarchiam Ecclesia accedit.

VI. Admittere regnum Pontificium temperamentum ex Aristocratiâ & Democratiâ tantum abest, ut non tantùm pura & simplex monarchia, sed improba potius & intensissima tyrannis sit.

VII. Ad imaginarium hoc Ecclesiæ regimen monarchicum pertinet immensa illa potestas, quam Pontifices Romani sibi arrogant, & non tantùm in Ecclesiam & viros Ecclesiasticos, sed etiam rempublicam, Reges & Principes sibi competere contendunt.

VIII. Verùm Petrus jussus est pascere oves Christi Verbo, non ferro, & lupos arcere precibus, non gladiis & hastis. Claves quoque, quas Petrus accepit ad regnum Angelorum non Anglorum spectant. Iussus ille est solvere pœnitentium peccata, non subditorum, Regibus præstita jûramenta. Peccatores cœlo jussus est excludere, neutiquam legitimos regnorum & imperiorum possessores terrenis dominis ejicere.

F I N I S.



*H 3096*

*Molle kein 56*

ULB Halle 3  
005 809 983



*VD 77*







3. AM 21

SUMMA CAPITUM RELIGIONIS  
CHRISTIANÆ  
E  
CORPORE DO-  
CTRINÆ JULIO  
EXCERPTA

*Q V A M*

ante complures annos in Academiâ Juliâ  
Disputandam proposuit

GEORGIUS CALIXTUS

S. TH. D. ET IN ACAD. JULIA  
PROF. PRIMAR. ABBAS REGIO-  
LOTHARIENSIS,

iisdem verò usibus destinata.

Anno MDCLXI è MSS. collegit & excudi

fecit

FRID. ULRICUS G. F. CALIXTUS  
S. TH. D. EJUSDEMQUE PUBL. ET ORD.  
PROF.

Typis CALIXTINIS, operâ  
HENNINGI MULLERI.